PATRIS F. CAROLI LANTERII GENUENSIS ... CELEBERRIMA DISPUTATIO, IN...

Carlo Lanteri, Philip Gruther, Pietro Marini











PATRIS
F. CAROLI LANTERII
GENVENSIS

ORD. MIN. REG. OBSERV. PROVINCIÆ TERRÆ Laboris, Sac. Theol. Lectoris Iubilati, & Ex-Ministri: totius Ordinis iam Diffinitoris Generalis, ac in Romana Curia Commissarij Generalis, Et ad præsens Discreti perpetui; Nec non Sancti Officij Romæ Qualificatoris.





CELEBERRIMA DISPVTATIO,

In qua subtilissimi Doctoris Scoti perspicuè mens aperitur, & exactè ad illius aures exprimitur sensus,

De modo, quo causa secunda ab Efficiente primo in operando dependet.

REVERENDISSIMO PATRI
F. FRANCISCO MARIAE
RHINI A' POLITIO
TOTIVS ORD. MIN. MINISTRO GENERALI.







Congregationis gualtiers 4 Agosto 1675 Filipp. Gualter con.

ROMÆ, TYPIS MICHAELIS HERC. M.DC.LXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

REVERENDISSIMO PATRI

F. FRANCISCO MARIAE RHINI A' POLITIO


TOTIVS ORDINIS MINORVM GENERALI DIGNISSIMO,

In Vrbe Solyma nuper Præſidi alterius Salomonis adinſtar; de Syon tandem reduci, Seraphico Cœtui omnium calculo ad Vrbis Orbiſque applauſum ritè rectèque.

PRAEFECTO,

QVI

A tuæ inauigationis exordio totam Seraphicam Familiam doctrina illuſtraſti, diſciplina exornaſti, ſuauiſſimo coadunaſti regimine.



CVIVS

Magna micat cunctis prudentia, ſiuè in Patrum medio, ſiuè in Magnatum cœtu, ſiuè in Principum Conſilijs.

CVI

Italia Patriam, cui Solyma ſolium, cui Regna reuerentiam, cui totius Seraphidum Ordo in gemino Orbe filiale iugiter præſtat obſequium.

QVEM

Non popularis auræ arbitrium, non ardens ambitio, non insana cupido; sed sola ad tantos virtus euexit honores.

A QVO

Nos Franciſciades veluti ab alio flumine exeunte de medio Paradiſi tantis donis irrigamur, & gratijs abundamus magis, matureſcimus vberiùs, conuiuimus fœliciùs.





VM primùm in celeberrimis totius terrarum Orbis Academijs ea, in qua modus exquiritur, quo à ſupremo Efficiente in propriorum effectuum productione creatum dependeat Agens, agitari diſputatio cœpit; & ſi tunc, REVERENDISSIME PRAESVL, nonnemo è noſtrorum Scotiſtarum numero fuerit, qui reuocaret in dubium, quidnam in re hac exiſtimarit, & in varijs ſuorum ſcriptorum locis vt propriam aperiret ibi ſententiam, Scotus ipſe protulerit: His verò temporibus non defuère quidam Pſeudo-Scotiſtæ, qui vel vt ex immoderata gloriæ laudiſq; cupidine, nouis inuentis atq; figmentis apud imperitos nominis celebritatem aucuparentur, vel quia potiùs tanquàm viliſſimę noctuæ in profundiſsimam Scoti doctrinam velut in fulgentiſsimum Solis iubar mentis aciem intendere nequeunt; ſic in

meri-

meridiana luce cæcutière, vt apertissimum Scoti sensum de modo, quo in suis operationibus ab Ente primo inferiores causæ dependeant, funditùs euertere, vel saltem extorquere tentàrint. Hinc igitur animaduertens ego quòd maius plerùmque à domesticis insidiatoribus, quàm ab hostibus extraneis detrimentum immineat; nolui deinceps certissimam ac firmissimam Doctoris nostri sententiam in ancipiti opinionū freto disttactam, & aliorum vitio naufragantem, & penè ad falsitatis scopulum indignissimè adhærescentem intueri. Quamobrem decreui quidquid ad Scoti mentem hac in re dici posset, summa diligentia in vnum veluti corpus coactum præsenti Disputatione concludere; quo tandem desinant audaculi Sectatores ad peruersos, & districtissimos sensus sui Magistri detorquere sententiam. Cæterùm tunc mihi videbor quasi nauigium ad tranquillissimum Portum, post diuturnæ tempestatis labores ac pericula, fœliciter appulisse; si post longas atque exactas inquisitiones, subtilissimam Scoti doctrinam in ipsius veritatis sinu blandissimè quiescentem ostendero. Quod vt quàm commodissimè efficerem, nullam mihi certiorem rationem offerri posse putaui, quàm si ad Tuę Reuerendissimæ Paternitatis; veluti clarissimæ Cynosuræ aspectum mei nauigij cursum pro consequenda veritate dirigerem, atque ad Tui fauoris benignissimam auram confidentissimè mearum omnium rationum vela laxarē. Ita enim spero futurum, vt tanti Ducis fauentissima protectione directus, neque horribiles inuidorum atque obtrectatorum Scyllas Charybdesque; neque passim obuios offensionum & querelarum scopulos, neque tamen periculosa multorum ignorantiæ Syrtes magnoperè metuendas agnoscam. Adde,

quòd Tuæ Benignitatis tutela erga meos qualescunque labores atque conatus, illud non vulgare commodum consequetur; quòd veritas hæc ex ipsissimo veritatis fonte, & germanissima Scoti mente collecta, cùm Tuæ auctoritatis doctissimo calculo apparuerit approbata, omnium Scoti amantium pectoribus altiùs insidebit. Tibi namque supremus ipse rerum Opifex, miraculi instar aliquid edere gestiens, omnes Maiorum Tuorum (ne dicam Scotistarum) concessit virtutes; vt quas in singulis admiramur singlas, in Te suspiceremus vniuersas. Accipe itaque doctissime Mœcenas, serena (qua soles.) fronte literarium hocce munusculum meum Tibi de industria paratum, Tuo sagaci expositum iudicio, Tuis virtutibus ac magnis debitum meritis: quod in lucem bono publico protractum, Dignitati Tuę præ alijs, in grati animi symbolum, nunc submissè offero, dedicoquè, daturus aliquando (si Numen faueat, & tempus sinat) maiora, Tuoque digniora nomine. Vale Seraphici cœtus eximium decus & emolumentum, neque pristino illo (quo cœpisti) semper fauore, & in posterum prosequi perge.

Vestræ Reuerendiss. Paternitatis obsequentissimus seruus;

Filius deditissimus.

F. Carolus à Genua.

Vt

VT Liber, cui titulus est, Tractatus in secundum Sententiarum; & celeberrima Disputatio, in qua subtilissimi Doctoris Scoti perspicuè mens aperitur, & exactè ad illius aures exprimitur sensus de modo, quo causa secunda ab Efficiente primo in operando dependet: *ab Adm. Reu. P. Carolo Lanterio Ianuensi compositus, necnon à Patribus Dominico ab Argentio, & Cherubino de Iaci Lectoribus Generalibus perlectus & approbatus, Typis mandari possit; his nostris facultatem opportunam concedimus, quantum ad nos spectat. Dat. Romæ ex Aracœli die 30. Martij 1669.*

Fr. Euangelista Parzagus Commissarius Generalis.

APPROBATIO OPERIS.

DE mandato Reuerendiss. P. Fr. Euangelistæ Parzagi Ordinis Minorum Regularis Obseru. S. Francisci in hac Cismontana Familia Commissarij Generalis, Librum hunc, cui titulus est; Tractatus in secundum Sententiarum; & celeberrima Disputatio, in qua Subtilissimi Doctoris Scoti perspicuè mens aperitur, & exactè ad illius aures exprimitur sensus de modo, quo causa secũda ab Efficiente primo in operando dependet: *ab Adm. R. P. Carolo Lanterio Ianuensi Lectore Iubilato, ter Ex-Ministro Prouinciali Prouinciæ Terræ Laboris, iam Diffinitore Generali, & Ex-Commissario Curiæ elaboratum, & mira eruditione compositum, iuxta Scoticæ doctrinæ præcepta, accuratissimè vidimus, & omnia animi studio perlegimus: Et sicut nihil in eo reperimus, quod solidam doctrinam Subtilissimi Doctoris non redoleat; ita nihil*

quod

quod Fidei Catholicæ ſit diſſonum, vel Chriſtianis moribus deuium, notauimus. Quare illum publica luce dignum iudicamus ad maiorem Dei gloriam, S. Eccleſiæ ornamentum, Religionis Seraphicæ vtilitatẽ, & Scoticæ doctrinæ recommendatinẽ. Dat. in Cõuentu S. Mariæ Nouæ Neap. die 20. Ianuar. 1669.

F. Dominicus ab Argentio S. Theol. Lector Generalis.
F. Cherubinus de Iaci S. Theol. Lector Generalis.

VT ea, qua excepi, Reuerendiſs. P. F. Hiacinthi Libelli, Sacri Palat. Apoſt. Magiſtri iuſſu, promptitudine exequerer, accuratè perpendi celeberrimum Theologicum Tractatum, De modo, quo Cauſa ſecunda à primo Efficiente dependet, *ab Adm. Reu. P. F. Carolo à Genua Ord. Min. Regul. Obſeru. Prouinciæ Terræ Laboris, Sac. Theol. Lectore Iubilato, & Ex-Miniſtro; totius Ordinis iam Diffinitore Generali, ac in Romana Curia Ex-Cõmiſſario Generali, et ad præsẽs Diſcreto perpetuo; nec non S. Officij Romæ Qualificatore, amœniori ſtylo, elegantiq; claritate, iuxta ſubtilis mentem Doctoris, eruditiſſimè conſcriptum. Nilquè in eo, quod Orthodoxæ Fidei, ſacriſq; dogmatibus aduerſetur, comperi; immò totus, quantus eſt, Subtilis doctrinam ſapit, adeò vt in Iubilati Auctoris ingenio, Scotus ipſe adhuc viuere videatur. Quare, vt luce digniſſimum reor; ſi modò his, ad quos pertinet, placuerit. Romæ, ipſo SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli peruigilio, Anni 1671.*

Carolus Guadagnius S. Th. D. & S. Felicis Nolani in Pincis Præpoſitus.

Impri-

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Magiſtrō Sacri Ap.Pal.

I.de Ang.Archiep.Vrb.Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Hiacynthus Libellus Magiſter Sac.Ap.Pal.

INDEX

INDEX
PROPOSITIONVM DISPVTATIONIS
De modo, quo causa secunda à primo Efficiente in operando dependet.

Propo-

Docu-

DISPV-

DISPVTATIO VNICA DE MODO,

Quo causa secunda à primo efficiente in operando dependet.

An de mente Scoti causa secunda ità subordinetur supremæ, vt simpliciter necessariò petat præueniri ab ea in actionibus suis.

PRæmissis nonnullis documentis, solutionem dabimus Disputationi, beneficio aliquarū Propositionum.

DOCVMENTVM I.

DAmnandus est error quorundam Maurorum, qui teste D. Thoma 3. contra Gentes cap. 69. sunt opinati creaturas nil penitùs operari, sed Deum solū moliri omnia ad præsentiā creaturarum. Refellitur error iste primò auctoritate Scripturę Genesis 1. *Germinet terra herbam virentem.* Lucę 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores, dùm fructus ex se producunt.* Facit ad rem nostrā illud D. Augustini 7. de Ciuitate Dei cap. 30. *Sic Deus, quas condidit creaturas, administrat; vt eas suos motus agere sinat.* Refellitur etiam ratione: namq; si creatura non agit; ergo nec homo: sed

absurdum consequens; sic enim eripitur homini libertas, quæ est ad agendum, & tollitur bonitas & malitia humanorum actuum, legum vis infringitur, atquè adeò humana societas euertitur. Mitto Philosophorum auctoritates, apud quos nihil frequentius, quàm simile producere sibi simile, Solem & hominem producere hominem; nec dicas hanc operandi virtutem esse superfluam in creaturis, eo quòd Deus per se sit sufficiens ad effectus quoslibet sine creaturarum concursu producẽdos: nam contra est; sed non potest dici superfluum per quod Dei bonitas, virtus & sapientia in primis elucent: at istæ Diuinæ perfectiones in hoc maximè elucescunt, quòd creaturis largiatur vim operandi; elucet bonitas diffusione seù communicatione perfectionis: elucet virtus, nam dare effectui non solùm esse; sed etiam vim productiuam, maioris virtutis est argumentum, quàm ei dare esse simpliciter: elucet sapientia; hanc enim creaturis virtutem concedẽdo facit, vt naturales effectus modo maximè connaturali. Adde, quòd aliàs Deus non tot effecisset ac tàm diuersas naturas, & organorum varietates, si nullũ eis concederet vsum.

DOCVMENTVM. II

CErtum est creaturas aliquas à solo Deo immediatè produci. Tales sunt Angeli, materia prima, & Anima rationalis. Addo, quòd non minùs certum est, creaturas scilicet à Deo productas, ab ipso etiam dependere in suò esse facto, seù conseruari; adeò vt crearuræ cuiuslibet cõseruatio sit eius

quasi

quasi perpetua productio, vt si vel momēto cessaret Deus, repentè ruerent in nihilum. Accedat ratio: Perfectio simpliciter simplex, idest nō inuoluens imperfectionem, in Deo agnoscenda est; cùm sit ens infinitum in omni genere perfectionis; sed dato, quòd nihil permanere possit in esse acquisito absq; influxu continuo Dei conseruantis, hoc arguit perfectionem simpliciter simplicem; igitur hoc Deo tribuendum est. Sit altera ratio: Quælibet creatura ità perfectè pendet à Deo, quàm vlla res creata pendeat ab altera; sed quædam res creatę pendent ab alijs, non modò vt fiant, sed etiam vt conseruentur: sic enim lumen pendet à Sole; ergo etiam quælibet creatura pendet à Deo in suo conseruari.

DOCVMENTVM III.

Cùm certum sit quaslibet creaturas à Deo tanquàm à prima causa, & suum esse, & suas simul operandi virtutes mutari; dubium non manet, quin omnes creaturæ saltem mediatè à Deo pendeant in operari. Hoc vnum proponitur accuratè discutiendum; an creaturę à Deo pendeant etiam immediatè in operando. Veritatem hanc, vt apertam habeamus; restat, quòd ad Propositiones descendamus à prima incipiendo,

PROPOSITIO I.

Proponuntur opiniones Doctorum.

DVrandus in 2. sent. dist. 1. quæst. 5. cum nonnullis alijs non minoris notæ, partem amplexatus

est negatiuam. Contendit ergo Durandus subordinationem causæ secundæ ad primam posse adæquatè cõcipi per hoc, quòd causa secunda proprium accipiat esse, & conseruetur in illo à causa primaria: quo fit, vt quantùmcunquè se ipso solo inferius agens proprium producat effectum, adhuc tamen in illius productione à prima causa perueniri & dependere concludit; cùm semper operari dicatur in primi efficientis virtute,quã accepit ab eo, & in qua continuè conseruatur ab ipso.

Alij verò, hac Durandi reiecta sententia, autumant causæ secundæ à primo efficiente in operando pendentiã essentialiter, & adæquatè compleri per illud; vt supposita virtute, quam accepit à Deo, & in qua conseruatur ab ipso, simpliciter necessariò agens inferius exigat insuper in actionibus suis simultaneum agẽtis supremi concursum: ea tamen lege sibi præstandum, vt nũquàm determinatus, sed sẽper indifferens offeratur tribuaturquè causæ secundæ; quæ postmodùm ex vi sui particularioris influxus determinare,ac modificare debeat influẽtiam illam indifferenter sibi exhibitam. Quò fit, vt non secunda primam, sed magìs econtrà prima secundam in effectuum productionibus expectare dicatur, & vt ista causalis; ideò Deus operatur, quia causa secunda incipit operari, & opposita falsa.

Hæc iam explicata subordinatio causæ secundæ nunquàm probari potuit, nonnullis ex veteribus,recentioribusq;Philosophis,qui contendunt econtrà vt semper determinatus, & nunquàm agenti creato simultaneus &

cooperans influxus exhibeatur à Deo; vndè manifestè deducunt, quòd ad perfectũ adæquatumq;conceptum,& explicationẽ subordinationis ac obedientiæ, quam in operando præstat efficienti supremo inferius agens: exigitur insuper, vt nunquàm istud ex vi determinati concursus exhibiti, in operationem prorumpere possit in ordine suo, illo nõ prorumpente priùs in ordine suo. Semper igitur ad aures istorum causa secunda in actionibus suis superioris agentis expectat influxum, ea tamen lege; vt nec antecedenter, nec comitanter ad operationem, vel per inhærentiam recipiat aliquid,vel per terminationem sentiat efficax Diuinæ voluntatis intimatum imperium. Quò fit, vt quantùmcunq;in hac opinione causa secũda ad operandum applicari dicatur à prima; hanc tamen applicationem non sortitur de nouo inferius agens dependenter à primo per intrinsecam denominationem, vt ità dicam, quasi verò tribuatur sibi à Deo per impulsum, vel receptum, aut terminatum solummodò, vt dictum est: sed tantùm per denominationem extrinsecam ad operandum promoueri, & applicari concipitur; ex eo videlicet quòd causa secunda prẹhabens in esse quieto virtutem, & facultatem operandi ex vi eiusdem propriæ virtutis intrinsecæ, seipsam ad operandum excitat,& applicat in ordine suo in illo eodem tunc,in quo primum efficiens eandem eius initiat operationem in ordine suo; vt hac ratione causa secunda quasi tanquàm annexa, & alligata efficienti supremo secundum primam entitatẽ ac virtutem operandi, quam

habet,

habet, ita dicatur sequi motum illius ex vi prædictę cõnexionis cum ipso, vt nec antecedenter ad operationem, aliquem eius recipiat influxum, vel extrinsecam terminet, sentiatquè intimationem imperij Diuini: sed ex mox prorumpẽte in actũ in ordine suo causa primaria, quasi occasionem potiùs applicãdi seipsum, & exeundi in actum in ordine suo, desumere videatur inferius agens, quàm verè & realiter excitetur, & applicetur ab ipsa.

Hoc tamen non obstante ex eo, quòd simpliciter necessariò in operationibus suis expectat primam causã prorumpentem in actum in ordine suo semper ista causalis, agens creatum operatur, quia Deus operatur veritatem, & opposita falsitatem includit,

Modum hunc explicandi subordinationem; quæ præscripta est operanti causæ secundæ, vt insufficienter exprimentem illam respuit cõmunior Philosophorum opinio; siquidem asserunt ipsi, quòd quantùmcunquè dicatur agens creatum accepisse facultatem operandi, in eadem conseruari à Deo, simpliciter necessariò exigere in operationibus suis simultaneum primę causæ cõcursum, & consimili necessitate perpetuò expectare primi efficientis executionẽ decreti, quod ab æterno fecit, de operando cum causa pro tali differẽtia temporis; vt ipso exequente decretum, & exeunte in actum in ordine suo, subitò in prorsùs eodem indiuisibili signo se ipsum determinet, exeatquè in actum in ordine suo inferius agens, adhuc non haberi adęquatum, essentialemquè conceptum rigorosæ subor-

bordinationis, quàm per cõparationem ad Deum cogimur ſaluare in operante cauſa ſecunda, niſi antecedenter ad oprationem concipiatur inſuper excitari, & applicari ad operandum per phiſicum, & præuium quendam influxum receptum, vel terminatum ad actum primum agentis creati.

Sed animaduertendum eſt, quòd aſſertores eius ſententiæ, licèt conueniant in ſubſtantia iſtius anteuertentis influxus in cauſam; non omnes tamen vniformiter explicant modum ipſius, ideſt non omnes conueniũt in explicando quo ſenſu, & quo modo ad operandum prouocetur, & applicetur per ipſum cauſa ſecunda. Laceſſitur & applicatur, inquiunt alij per aliquid de nouo à Deo productum & impreſsũ actui primo cauſæ ſecundæ; ita vt iſthæc præmotio, & ad operandum applicatio ſẽper fiat per productionem inherentis formæ, quæ ſecundum diuerſos Auctores vel fluens eſt, vel permanens qualitas, vel actio quædam virtuoſa, quam non ſatis elucidant. Excitatur, & impellitur; aſſerunt alij per extrinſecum efficax propoſitũ ac imperium Diuinæ volũtatis, ità videlicet vt nihil prorſus producatur per ipsũ in cauſa ſecunda præmota & applicata ad operandum. Conſueuit hæc præmotio, & applicatio aptè vocari delatio, præſentatio, vel intimatio efficacis imperij voluntatis Diuinæ; vt tunc videlicet cauſa ſecũda concipiatur prouocari & applicari ad operandum, quãdo Deus efficaciter ipſi intimãdo imperium, quo principatur ſuper omnes ſibi ſubditas cauſas inferius agẽs verè & realiter terminans illud, ſentit effi-

efficacitatem eiusdem imperij iuxta illud D.Hieronymi lib. 1. Comment. in cap. 8. Math. vbi explicant illud: *Tunc surgens imperauit ventis et mari &c.* Ex hoc loco intelligimus; quòd omnes creaturæ sentiunt Creatorē, quas enim increpauit, & quibus imperauit, sentiunt imperantem. Et hoc pacto nonnulli ex Thomistis effingunt Sacramenta nouæ lagis eleuari à Deo, vt phisicè inhærentis gratiæ productionem attingere valeāt. Fit igitur huiusmodi excitatio, & applicatio ad operandum, non per aliquid inhærenter productum in causa secunda; sed per solam extrinsecā efficacem intimationē imperij Diuini, quod seipsa terminat, & in seipsa intrinsecè sētit causa secunda, vt clariùs infrà patebit.

Cæterùm isthæc intimatio imperij Diuini, & ipsius terminatio à causa secunda, vel ità præuenit ipsam in operationibus suis, vt simul prioritate à quo, & in quo semper anteuertat eam, vel vt tantùm prioritate à quo; quod idem est, ac si diceremus ordinem hunc intercedentem inter secundam causam terminantem intimati imperij Diuini efficacitatem & seipsam, vt prorumpente in actum secundum, vel esse positiuum, aut negatiuum ordinem naturæ; ità videlicet vt si terminatio impulsus Diuini pręcedat secundā causam, vt exeuntem in actum verè, & de facto tunc dari debebit aliquod signum naturæ, in quo sit hæc terminatio, & non simul concurrat pro tunc agentis creati proruptio in actum secundum; sed sit in immediatè sequenti signo naturæ, vel si naturaliter negatiuè tantùm

præ-

præcedat inferius agens vt erumpens in productionem effectus, licèt tunc omninò simul concurrerent in causa secunda impulsus Diuini terminatio, & exitus eius in productionem effectus: nihilominùs tamen quantum est ex se, propria natura illarum si possent, vel deberent poni cum ordine in rerum natura, sẽper terminatio productionem necessariò præcederet. De ordine naturæ positiuo & priuatiuo loquitur Scot. in 2. dist. 1. quæst. 3. sub lit. H. & in 3. dist. 3. quęst. vnic. sub lit. G. Nec implicat, quòd hæc duo simul concurrant; quia nec etiam implicat apud Scotum, vt vnum & idem ens etiã formaliter indistinctum possit simul esse mouens, & motũ vt extentiùs ad aures illius declarabimus infrà.

Ex his omnibus præmissis patet iam qualis possit esse, & sit propositę controuersiæ status: quoniam dum quærimus, an de mente Scoti causa secunda ità subordinetur primæ, vt simpliciter necessariò petat præueniri ab ea in actionibus suis? Idem est ac si queramus, nùm ad hoc vt de mente Scoti adęquatè concipiatur, & sufficienter explicetur agentis creati ad primum efficiens in operando pendentia; cogamur ad aures eius asserere causam secundam ità pręueniri à prima in actionibus suis, vt accipiat ab ea operãdi virtutem solummodò, in qua tamen continuè conseruetur ab ipsa. Vel necessariò exigat etiam simultaneum in productionem effectus influxum, qui aut exhibeatur ad operandum indifferẽs, determinandus & modificandus; tamen ab agente creato, aut ita determinatè præstetur, vt causa secunda expe-

ctare cogatur vlteriùs primę causæ determinationem, vt ipsa determinatè, seù potiùs exequẽte decretum exeundi in actum in ordine suo, mox agens inferius etiam erumpat in actum; nullum tamen recipiendo influxum, vel terminando intimationem imperij Diuini. Vel tandem exigat insuper excitari, & applicari ad operandum, aut per aliquid inhærenter productum in ipsa causa secunda, quodcunquè sit illud aut tantùm per extrinsecam Diuinæ voluntatis intimationẽ imperij naturaliter, priusquàm operetur, terminati ad virtutem illius; & hoc vel positiua, vel negatiua prioritate, vt latiùs omnia explicuimus suprà.

Ratio dubitandi est, quia cùm Scotus in sua doctrina, vt fusè declarabimus infrà, omnes prędictos modos explicandi agentis creati à primo efficiente in operando pendentiam insinuare & exprimere videatur; non est igitur satis certum, quem ex illis ad aures eius debeamus amplecti.

PROPOSIT. II.

Adducuntur testimonia, quibus probatur Scotum insinuasse primum modum explicandi agẽtis creati à primo efficiente in operando pendentia.

SI dixero subtilissimum Doctorem non leuiter indicasse primum explicandi modum, & ferè subscripsisse Durandi sententiæ, durum nimis fortasè prima fronte videbitur profitentibus Scoti doctrinam; eò vel maximè cùm indubitatum sit illis, quòd quantùmuis fuerit ipse, & vt Philosophus, ac vt Theologus nouarum

uarum opinionum singularis, subtilisq; inuentor & Auctor: quia tamen ex incredibili cautione, qua sẽper processit in omnibus, eo specialissimo priuilegio gaudeat; vt à recto Catholicæ fidei tramite nè latum quidẽ vnguem discesserit vnquàm, & omnes orthodoxi, ac sapientiores vniuersi doctrinã eius inoffenso pede semper decurrerint; procul dubio nunc pias eorum aures offendet proferre saltem Scotum Durandi probabiliter adhæsisse sententiæ. Sed quæso desinant ægrè ferre pronunciatũ huiusmodi, nam cùm præ omnibus ego sanissimã Scoti doctrinam ardentissimè prosequar; meum igitur erit ità ex eius purissimo grano pro viribus euellere infelix hoc Durandi sententiæ lolium, vt nequeat ipse gloriari erroris sui Theologorũ Principem habere Patronũ.

Non leuiter ergo prima facie Scotus insinuat primũ explicãdi modum, quo causa secunda à primo efficiente in operando dependet: ipse siquidem in 2. lib. sent. dist. 37. §. *Ideò meritò &c.* vt explicet quo sensu creata voluntas sit causa peccati, & simul Deum Opt. Max. non esse peccaminosæ deformitatis Auctorem inquirit, & examinat ibi, quanta sit in proprij actus productione creatę voluntatis actiuitas, & difficultate proposita; *Vtrùm videlicet voluntas creata sit totalis causa & immediata sui velle, ita quod Deus respectu illius non habeat aliquam efficientiam immediatam: sed tantùm mediatam &c.* Affirmantem partem ostenderè nititur quinque rationibus, totidemquè auctoritatibus, quas omninò insolitas dimittit; vndè non obscurè colligitur non sic abiectè de

hac opinione sensisse, vt probabilitatem omnem ab ea secludere voluerit.

Confirmatur hoc ipsum, nam postquàm Scotus subiunxit & deduxit ibidẽ, quòd *Si hæc via esset vera, posset secundum eam faciliter assignari quo modo Deus non sit causa peccati: loquendo enim siuè de materiali, siuè de formali in peccato, totum esset causatum à voluntate sicut à totali causa; & ità nullo modo à Deo nisi mediatè, quia Deus produxit voluntatem talem, quæ posset sic & sic velle &c.* Vt illam magìs explicaret & stabiliret, contra ipsam omniũ in hac materia validissimas duas adducit instantias, alteram ex causa meriti, alteram verò ex essẽtiali ordine causarum desumptas; & soluit vtramquè ostendens manifestè optimè in hac sententia posse saluari, & esse Deũ cuiuscunq; meriti causam & voluntatem creatam essentialiter à Deo in operando pendere. Audiamus quæso illum priùs instantem, & deindè respondentem: *Sed contra* (inquit) *istam viam obijcitur, quia ista via non saluaret Deum esse causam meriti, cùm meritum sit ità liberum sicut peccatum. Et similiter non saluaret ordinem essentialem causarum, quia secũdum primam propositionem de causis: omnis causa primaria &c. Sed secundùm istam viam causa primaria non influeret in effectum, nisi quia produxit causam istam. Ad primum istorum potest dici, quòd Deus aliquo modo est causa meriti, quomodò non est causa peccati; quia immediatè causat in anima gratiam vel charitatem, quæ per modum naturæ inclinat ad merendum, & quandocunquè forma actiua per modum naturæ est ab aliquo agente, etiam actio forma*

mæ illius ab eo. Et ex hoc etiã pateret quomodò effectus aliarum causarum aliter essent à Deo, quàm effectus voluntatis; quia istæ causæ determinatè acceperunt inclinationem à Deo, & necessitatẽ ad tales effectus, non sic voluntas. Ad secundum diceretur, quia licet sit aliquando ordo causarum principalium, & minùs principalium, quarum neutra mouet aliam; sicut se habent obiectum, & potentia cognitiua respectu actus cognoscendi ex dist. 3. primi libri. Aliquandò autem sit ordo, ita quòd principale mouet minùs principale, vel ad actum secundum vel primum; ita tamen quòd istæ duæ causæ sint partiales, & integrent per se vnam causam totalem, sicut manus & baculus respectu motus pilæ, vel sicut Sol & Pater respectu filij. Tamen in causis totalibus respectu suorũ effectuum immediatorum potest etiã esse ordo essentialis; ita quòd causa secunda sit causa totalis immediata respectu sui effectus, sicut causa prima respectu sui effectus: & tamen essentialiter sit secunda, quia secundum suam causationem, sicut secundum suum esse, essentialiter dependet à prima; non tamen ità quòd ista dependentia sit immediata effectus sui ad ipsam, & ad causã priorem. Et cùm dicit illa propositio, quòd causa prima plus causat; verum est, quia causat secundam &c.

Ex quibus verbis illud est præcipuè notandum, quòd in responsione ad secundam instantiam omninò saluare cõtendit, & ostendere nititur eam, quam essentialiter data hypothesi & in essendo, & in operando ad primũ efficiens subordinationem includeret tunc creata voluntas; explicatquè illam ibidem apto exemplo essentialis ordinis, quem plures ordinatæ mate-

riæ

riæ in alio genere causandi seruarent in producendo cópositum viuens, maximè vita intellectuali, sustinendo verissimam eius opinionem de pluralitate substantialium formarum in eodem composito viuente: Illud inquam est prçcipuè notandú, quoniá nouerat ipse, quòd sola prçdictæ subordinationis exclusio funditùs potuisset euellere Durandi sententiam.

Confirmat euidenter hoc ipsum pronunciatum domesticus Scotista Tataretus noster in expositione præfatæ quæstionis, quam Scotus de totali & immediata creatę voluntatis actiuitate proponit in præcitato loco 2. lib. sent. apertè nāq; in hęc verba prorumpit ibidem. *Conclusio probabilis Scoti est, quia est problematicus in ista materia, & potest sustineri; quòd voluntas creata est totalis causa suæ volitionis sic, quòd Deus non attingat eā &c.* Et quòd Scotus problematicè, vel potiùs probabiliter hanc opinionem sustinuerit, euidentissimè colligitur etiam ex 3. lib. sent. dist. 17. quęst. vnica sub lit. E. vbi respondens argumento contra dualitatē voluntatum Christi Domini proposito & desumpto ex ratione dominij, quod super actibus suis debet habere creata, inquit: *Tunc vltrà ad argumentum secundum duplicem opinionem in 2. lib. tactam; si voluntas sit tota causa & immediata sui actus, dico quòd non sequitur motum Trinitatis causantis cum voluntate actum voluntatis: sed Trinitas tantùm ponit voluntatem in esse, & sinit ipsam mouere in actibus suis, ità quòd non comparatur ad o pe rationem voluntatis, nisi in quātum operabatur ad esse primum voluntatis & secundum illam opinionem minor rationis*

nis

nis est falsa, quòd voluntas in operatione sequatur motum alterius agentis circa operationem suam; licet enim sequatur motum alterius in esse, non tamen in operari, immediatè dico. Si autem teneatur, quòd voluntas immediatè causet operationem suam, & nihilominùs etiam Deus causat immediatè cum voluntate, sicut immediatè causat esse voluntatis: tunc dico, quòd volũtas in Christo ità liberè elicit, & dominatur actui sui, sicut volũtas mea suo &c. Ex hoc testimonio manifestè deducitur, quòd sicut Scotus putauit posse sufficiẽter explodi rationem, quam contra dualitatem Christi Domini voluntatum primò principaliter obiecerat; optimèquè saluari creatæ voluntatis dominium & libertatem, si sustinebimus ipsam se sola volitiones suas efficienter attingere, sic non posse in dubium reuocari probabilem hanc iudicasse sententiam.

Sed quòd opinioni Durandi subscripserit, & approbauerit ipsam, euidenter demonstrat demũ subsequens testimoniũ ex 2. lib. Report. dist. 37. quæst. 1. desumptum vbi vt satisfaceret propositæ difficultati de pendentia, quam habeat à Deo materialis actus peccati, determinato priùs in principio corporis quæstionis, actum deformitati substractum necessariò Auctorẽ agnoscere Deum; & immediatè pòst mota difficultate: *Quomodò est à Deo velut à causa vt immediatè agente, vel quia immediatè est à voluntate, quæ immediatè est à Deo; & sic mediatè est iste actus à Deo &c.* Statim respondẽdo subiungit: *Dico, quòd vtrumquè potest sustineri &c.* Et productis ibidem, & expeditis

ratio-

rationibus pro vtraquè parte, iterùm ratificans id, quod superiùs dixerat, dicit: *Dico igitur non determinando vnam opinionem nec aliã, quòd posset poni, quòd istæ voluntates essent immediatè actiuæ respectu eiusdem volitionis, sicut ponentes potentiam esse actiuam possunt ponere potentiam, & obiectum immediatè agere, vt Patrem & Matrẽ in productione prolis.* Et parũ inferiùs ait: *Alia opinio similiter potest sustineri, si causa vna causat aliam totaliter, & illa in suo ordine sit totalis causa alicuius tertij, prima causa non est immediata respectu tertij; sicut patet de pluralitate formarum: prima forma substantialis aduenit materiæ primæ, ita quòd ipsa est immediata causa materialis illius compositi; sed ipsa non est immediata causa materialis illius compositi perfectionis, quia immediatè perficitur ab intellectiua corpus organicũ. Non videtur mihi probabilius quã quòd qualibet forma substantialis immediatè perficiat materiam primam. Et si argueretur, prima causa plus influit in effectum, quàm secunda; igitur magis causat. Dico, quòd magis causare non est immediatiùs causare, sed qui causat causam effectus; & per consequens est nobilior quàm causa secunda.* Et breuiter resoluẽs ea, quæ diffusè superiùs dixerat, immediatè pòst in hæc verba prorumpit: *Teneo, igitur, quòd volitio est à duabus causis essentialiter ordinatis, siuè ordinentur essentialiter primo modo, vel secundo modo &c.* Quid quæso limpidius, vel quibus poterat clarioribus verbis suam in hoc aperire sententiam.

PRO-

PROPOSIT. III:

Oſtenditur euidenter Scotum fuiſſe penitùs alienum ab opinione Durandi, & explicantur teſtimonia in oppoſitum adducta.

ET ſi primo intuitu videatur, vt dictum eſt, Scotum noſtrũ in opinionẽ incidiſse Durandi, quemadmodùm ex illius doctrina teſtimonia non leuiter indicant: his tamen non obſtantibus, ſi Doctoris ſubtilis ſubtiliùs mẽtẽ ſcrutabimur, & illud quod ipſe verè ſentit de primo modo explicandi ſubordinationem, qua cauſa ſecũda in actionibus efficiẽti ſupremo neceſſariò ſubditur; ad erroneam comparabimus Durandi ſententiam, ſtatim nobis eluceſcere latum intercedere diſſidium inter opinionem vtriuſquè Doctoris. Igitur Scoti noſtri ſententiã ab errore Durandi longè diuerſam ſubitò comprehendet is, qui animaduerterit Durandum determinatè ſuſtinuiſſe negatiuam partem illius controuerſiæ, de immediato primi efficientis influxu in operationem agẽtis creati; Scotus verò vtrãquè defendit. Durandus ità proteruè negantẽ amplectitur, vt affirmantem partem derideat, & omninò falſam & impoſſibilem cenſeat illã: At Scotus econtrà quoniam in 2. lib. Report. diſt. 37. quæſt. 1. propoſitis rationibus pro negatiua parte, ſtatim ſubiungit hæc verba: *Tamen alia via videtur concludi per rationes fortiores, quia niſi Deus eſſet immediãta cauſa volitionis, ſequeretur quòd Deus non eſſet præſcius futurorum, nec etiam omnipotens &c.* Quas rationes ex præſcientia, & omnipotentia Dei deſumptas proponit etiã

in 2 lib.sent.37.quæst.5.sub lit.P.

De industria duxi omittendum hìc id, quod etiam posset adduci, Scotum videlicet asseruisse insuper primum efficiens principalius, quàm causa secunda in proprium eius effectum influere, vt patet ex primo sent. dist.39. sub lit. Z. & in eodẽ primo dist. 17. qu.2. sub lit. Qq. & in eod. primo dist.3. quæst.8.sub lit.B.& alibi sępè; quia non est hìc propriè controuersia de modo immediati concursus: An videlicet Deus immediatè cõcurrens cum causa secunda ad operationem illius principaliùs, quàm ipsa causa secunda in proprium eius influat actum; sed est tantùm difficultas de substantia immediatæ influentiæ effectum inferioris agentis. Nùm scilicet mediatè Deus attingat operationem agentis creati, tamen si hoc etiam expenderetur exactiùs, absq;dubio ostenderet quoquo modo Scotum nõ subscripsisse erroneæ Durandi sententiæ.

Sed inquies, licèt ex dictis ad summum colligi possit, Scotum non sustinuisse Durandi sententiam eo pacto, quo ipse per omnimodam explosionem opinionis oppositæ sustinuit eam; indè tamen minimè potest inferri, quin errori Durandi probabiliter saltem adhæserit.

Fateor sanè, nec potest reuerà negari probabiliter Scotum adhęsisse Durando quantùm ad opinionis substantiam, sed ratione longè diuersa eius defendit, probauitquè sententiam. Ratione, inquam, longè diuersa quàm ipse Durandus, sententiam eius sustinuit Scotus; quandò quidem id non obscurè deducatur ex ijs, quæ de omnipotentia Dei dispu-

disputauit, & statuit ipse in primo dist. 42. quęst. vnica per totum: sed fusiùs in tota 7. quęst. Quodl. Breuiter ergo, si placet, audiamus quid de omnipotentia in vtroquè loco decernat; quoniã luce limpidiùs indè patebit, quòd quantùmuis probabiliter sustineri posse censuerit primum efficiens mediatè tãtùm influere in operationes creatorum agentiũ: illinc tamen nequibit inferri, nec olfecisse, nec somniasse erroneam Durãdi sẽtentiam.

Scotus igitur in præcitatis locis, hanc mouet de Diuina omnipotentia quęstionem: Vtrùm videlicet naturaliter possit demonstratiuè probari Deum esse omnipotentem? Quam controuersiam vt suis numeris absolueret pręmissa priùs distinctione de omnipotẽtia philosophicè sumpta, quę quodcunquè possibile indifferenter, vel mediatè, vel immediatè respiciat; & theologicè concepta, quæ ad eadem possibilia immediatam importat habitudinem: hæc ad propositum nostrum attinẽtia vtrobiquè concludit, vt clarè cuicunquè patebit ex textus intuitu. Primò igitur in 7. Quodl. præsertim quinque sub lit. C. infrà examinandas ab ipso, proponit conclusiones; quarum *Prima est ista: Deum esse omnipotentem, vtroq; modo accipiendo omnipotentiam, est verum demonstrabile in se demonstratione propter quid. Secunda conclusio: istud verum esse demonstrabile viatori, stante simpliciter statu viæ. Tertia conclusio: istud verum non potest demonstrari viatori ex notis sibi naturaliter & de lege communi. De demonstratione; quia, sunt duæ conclusiones: Prima est ista; Deum esse omnipotentem*

tem omnipotentia respiciente immediatè quodcunq; possibile, licèt sit verum: non tamen est nobis demonstrabile demonstratione, quia. Secunda conclusio: Deum esse omnipotentem omnipotentia immediatè vel mediatè, quodcunquè possibile respiciente, potest demonstrari à viatore demonstratione; quia. Sic ergo sunt quinque conclusiones, ex quibus integratur solutio quæstionis &c. Et id ipsum repetit, licèt non ità distinctè in primo dist. 42. sub lit. B. & in eadem quęst. Quodl. sub lit. N. vbi etiam immediatè subiungit exempla manifesta & efficacissimas rationes, quibus ostenditur optimè posse saluari. Causas secundas etiam quatenùs operantes, essentialiter subordinari agēti supremo; quantùmuis secludatur ab ipso immediata facultas attingēdi productionem actus secundi causæ secundæ. Ex his asserit tertiò omnipotentiam theologicam ex creditis tãtùm innotescere nobis, sicut apertè fatetur in præcitato loco primi lib. vbi in ratione pro veritate præsertim parùm suprà lit. A. euidenter inquit, quòd *Articulus fidei est in simbolo Apostolorum, Credo in Deum Patrem omnipotentem &c.*


En igitur quàm manifestè clarescat, aliàs Scotum, & alia diuersissima via incessisse Durandum in hac opinione tuenda: Scotus siquidem, vt ex doctrina liquet, & verbis illius theologicè in primis ex creditis sustinet ipse eam esse primi efficientis omnipotentiam, vt omninò immediàtè & principaliùs, quàm causæ secundæ omnium entium productionem efficienter attingat; quia tamen vidit, deindè vt fusè & subtilissimè probat in 7. q. Quodl. theologicam omni-

omnipotentiam non posse ex natura euidenter ostendi, & non obstāte Philosophorum sententia de mediato influxu agentis supremi, adhuc optimè posset defendi secundas causas etiam actualiter operantes, essentialiter subdi eidem agenti supremo, philosophicè tantùm probabiliter sustinuit; hinc non esse Deum eo sensu omnipotentem, vt immediatè omnium entium productionem efficienter contingat.

At econtrà Durādus nūquàm asseruit, nec remotissimè indicauit ex creditis aliquantisper saltem innotescere nobis immediatum in quælibet entia Diuinum influxum, quin potiùs mordicùs acriterquè oppositam de immediato concursu sentētiam vt penitùs impossibilē, & contradictoria complicātem sustinuit; quò factum est, vt ipse non tantùm vt Philosophus, sed etiam vt Theologus omninò negauerit immediatum primi efficientis in creatorum agentium actionem influxum.

Scotus autem vt Theologus assertiuè sustinuit, vt in 7. q. Quolib. sub lit. M. inquit euidenter: *De certo tenendum est secundum communem sententiam Theologorum, Deum sic esse omnipotentem; quòd sine quocunquè alio agente possit causare quodlibet causabile &c.* Et vt Philosophus insuper (quod est valdè notandum) probabiliter defendit immediatum Dei concursum cum causis secundis: quod non obscurè colligitur ex illis verbis, quibus multotiès repetit in 7 q. Quodl. & in primo dist. 42. theologicam omnipotentiā non posse demonstrari euidenter ratione naturali; ergo si non euidenter, probabiliter

ter



ter saltem quibit ostendi. Quod etiã colligitur ex eo, quòd inquit, viatorem posse naturaliter demonstrare, non determinatè, sed indifferenter, seù sub disiunctione Deum vel esse mediatè vel immediatè omnipotentem, vt apertè fatetur in primo dist. 42. sub lit. A. dùm ait: *Quòd omnipotens aut potest dici agens, quod potest in omne possibile mediate, vel immediatè; & hoc modo est potentia actiua primi efficientis omnipotentia, pro vt extendit se ad omnem effectum in ratione causæ proximæ vel remotæ: & si naturaliter possit concludi esse aliquod primum efficiens, sicut ostensum est suprà dist. 2. naturaliter etiam potest concludi, illud esse omnipotens hoc modo loquendo &c.* Et in 6. Quodl. sub lit. T. inquit apertè: *Quòd demonstrabile est viatori demonstratione quia, Deum esse omnipotentem mediatè vel immediatè; hoc est, quòd possit causare quodcunq; causabile vel immediatè, vel per aliquod medium, quod subsit causalitati eius &c.* Per hoc igitur quod ex naturalibus suis potest viator habere per demonstrationem conceptum indifferentem ad mediatum, & immediatum Diuinũ influxum in actionem causæ secundæ; manifestè sequitur indè, quòd probabiliter defendere valeat vtrumq; indifferentiæ membrum.

Colligitur etiam ex eo, quod habet in 7. q. Quodl. parum suprà sub lit. O. vbi dicit: *Sed licèt hæc conclusio non sit demonstrabilis, quia: tamen cùm vera sit, oppositum demonstrari non potest; ideò ad rationes adductas pro opinione Philosophorum respondendum est &c.* Patet ergo, quòd cùm propter veritatẽ opinionis de potentia theo-

logica



logica non possit eius oppositum demonstrari: restat, vt probabiliter dumtaxat alterum oppositum possit ostẽdi, sicut patet ex philosophicarum rationum solutione, quam immediatè subdit ibidem; ergo oppositam sentẽtiam de omnipotentia theologica probabiliter etiam ex naturalibus suis poterit suadere viator. Istæ duæ consequentiæ patent euidenter.

Colligitur tandem euidẽtissimè ex primo dist. 42. sub lit. C. vbi hæc habet formalia verba: *Et ex hoc apparet, quòd ipsa propositio, quidquid potest causa effectiua prima cum causa secunda, potest per se immediatè, non est nota ex terminis, neq; ratione naturali; sed est tantùm credita, quia si ipsa omnipotentia (ex qua dependet) esset nota ratione naturali, facilè esset probare ipsis Philosophis multas veritates & propositiones, quas ipsi negant, & facilè esset eis probare saltem probabilitatem multorum, quæ credimus, quæ ipsi negant. Omnipotẽtia tamen hoc modo sumpta, licèt non sufficienter demonstretur, probabiliter tamen potest probari, sicut verum, & necessarium; & probabiliùs quàm quædam alia credita, quia nõ est inconueniens, quædam credita esse euidentiora, quàm alia &c.* Quid clarius poterat vnquàm nobis Scotus proferre?

Igitur cæcutientibus etiã hinc elucescere debet Scotũ nostrum non sic pestem abhorruisse, sicut erroneam Durandi respuisse sententiã: sed illud dumtaxat de mediato Dei concursu cũ causis secundis probabile censuit, quòd purus Philosophus ex naturalibus probabiliter tantùm valeret ostendere. Et hoc, & non aliud colligitur ex eius testimo-

nijs

nijs in oppositum adductis, quòd licèt sufficienter hoc ipsum explicet illa; & sic euidenter ostendat, nè tantillum quidem Scoti doctrinam erroris alicubi redolere Durandi, vt esset omninò supersedendum ab alijs: in gratiam tamen Scoticæ veritatis illud vnum superaddere volui, quod ipse in 2.dist.37.§. *Ideò meritò &c.* non solùm non approbat, sed penitùs reprobat, respuitquè Durandi sententiam, quod euidenter infertur ex eo; quia propositis ibi rationibus & auctoritatibus, quæ probare videtur Deum non seipso immediatè influere in actiones creatorum agentium, statim subdit sub lit. N. *Si hæc via esset vera, posset secundum eam faciliter assignari, quomodò Deus non sit causa peccati &c.* Quasi dicere voluerit, si hæc via posset sustineri, vtiquè facilis esset ad explicãdum, moralem peccati malitiam nulla ratione in Deum, vt in eius Auctorem, posse refundi: sed dùm inquit inferiùs sub lit. O. *Contra istam opinionem arguitur dupliciter: Primò, quia ex ipsa sequitur, quòd Deus non sit naturaliter præscius futurorum: secundò quòd non sit omnipotens &c.* Idem est ac si dixisset: sed quia hæc via nec ipsam veritatis vmbram includit, necessariò igitur aliundè petenda est explicatio, cur sit Deus causa peccati; quemadmodùm Scotus ipse paulò inferiùs sub lit.P. manifestè fatetur his verbis: *Propter igitur istas duas rationes de omnipotentia & omniscientia Dei, non tenendo istam viam, restat inquirere; qualiter peccatum possit esse à voluntate creata, quò ad primam quæstionem, & quomodò non à Deo, quò ad quæstionem quartam*

tam &c. Et ſanè rationes iſtæ, quarum altera ex omnipotentia, altera verò ex omni ſcientia deſumitur, ità clarè demonſtrant in Scoti doctrina penes ea, quæ ipſe de Diuina futurorum contingentium notitia decernit in 4. q. Prolog. ſub lit.S. & & inde in primo diſt. 39. q. vnica per totum; in eodem primo diſt. 39. ſub lit. M. in 4. diſt. 46. q. 1. ſub lit.F. in 14. q. Quodl. ſub lit. T. & alibi ſæpè: vt ſi reuerà idẽmet Scotus opinionem Durandi quomodocùnquè ſuſtinendam aſſumere vellet, eſſet penitùs tunc incompoſſibile ſibi prædictarum rationũ vim efficaciamquè vitare. Concludamus igitur, quòd quantùmuis Scotus in præfatis teſtimonijs, ex eius doctrina in oppoſitum adductis, more philoſophico probabiliter tantùm defenderit agẽtis primi in actiones cauſæ ſecundæ mediatum influxum: ex illis tamen nè ſophiſticè quidem poterit vnquàm deduci, quòd error Durandi ſubſcripſerit, vt meridiana luce limpidiùs mentem eius ſuperiùs explicuimus.

PROPOSIT. IV.

Proponuntur nonnulla teſtimonia ex doctrina Scoti deſumpta, quæ præcedentis Propoſitionis veritatẽ eneruare videntur.

QVantùmuis abundè ſatis in præcedenti Propoſitione oſtendimus ex ijs, quæ in primo diſt. 42. & in 7. q. Quodl. de omnipotentia Diuina Scotus aſſeruit, ipſum non adhæſiſſe Durando in ea ſententia, quam de mediato Dei concurſu cum cauſis ſecundis ſuſtinuit; nihilominùs tamen

ſi attentiùs inſpexerimus quid vtrobiquè de mente Philoſophorum concludere contenderit, omni dubio procul deprehendemus magìs oppoſitum, quàm propoſitum ex prædictis locis debuiſſe deduci. Siquidem dictum eſt Scotum ibi decreuiſſe ad aures Philoſophorũ, quòd ipſi omninò negauerint primi efficientis in operantes ſibi ſubditas cauſas immediatum influxum, etiã citra omne præiudicium eſſentialis ordinis & pendẽtię, qua in operando ſubijciuntur agenti ſupremo: Et hinc deduximus Scoti ſentẽtiam de concurſu Diuino cum cauſis ſecundis non coincidiſſe cum opinione Durandi, vt fuſiùs in præcedenti Propoſitione diximus: at in locis citatis non ſolùm non negant, immò manifeſtè Scotus fatetur Philoſophos conceſſiſſe, quòd primum efficiens ſe ipſo immediatè influat in operationes agentis creati; igitur indè magis oppoſitum, quàm propoſitum inferre debuimus. Subſumpta minor ſtatim patebit, ſi aduerterimus ea, quæ Scotus in 7.q.Quodl.ſub lit. L.ſub explicationẽ immediationis proponit; quo ſenſu videlicet intelligendum ſit, Deum eſſe immediatè omnipotentem, ad hoc vt poſtmodùm appareat indè: An naturaliter demoſtrari poſſit à poſteriori, Deum non eſſe penes explicatum immediationis intellectum immediatè omnipotentem; quoniam ex hoc loco patebit Scotum noſtrum eo ſenſu dumtaxat ad mentem Philoſophorum negaſſe immediatam Dei omnipotentiam, vt ſolummodò voluerit ab ipſo ſecludere immediationem cauſæ, non autem imediationem virtutis & actionis:ideſt licèt decre-

decreuerit ibi de mente Philosophorum, negasse quòd Deus in nouiter producendis ab ipso sic adminiculo indigeat causæ secundæ vt simpliciter necessariò in tēporalium productione illius consortium admittere debeat;& per consequens mediatè dicatur influere, ea tamen ratione mediatè concurrit vt medietate, idest concurrente secum causa secunda producat quodlibet cum nouitate causabile:non igiturità mediatè, quasi verò Deus non se ipso & per se propria virtute, propriaquè efficientia; sed per aliud & media causa,sicut Durandus asseruit, in creatorum agentium actiones influeret, sic namquè, in citato loco concludit his verbis:*Est ergo difficultas de immediatione, vt excludit solummodò causam efficientem mediam, & intelligo effectiuam generaliter,siuè illa causa media in causanda attingat effectum præuium,vel dispositionem ad illam &c.* Vbi prçcipuè notanda est illa dictio exclusiua, *solummodò*, qua indicat euidenter se in eo sensu ad mentem Philosophorum, exagitaturum motam quçstionem de immediatione causalitatis agētis supremi, vt solùm in dubium reuocare contendat: An videlicet possit naturaliter demonstrari & sustineri de mente Philosophorum, Deum sic immediatè posse producere temporalia;vt solitariè se ipso efficere valeat illa: an verò econtrà in nouiter causabilium effectione sic ineuitabiliter egeat adminiculo & consortio causæ secūdæ, vt omninò nequeat aliquid de nouo producere independenter ab eius concursu.

Et paulò pòst difficultati respondens, ibidem inquit:

Circa hoc Philosophi videntur sentire non solùm, quòd non sit demonstrabile, Deum esse omnipotentem immediatè; sed etiam quòd hoc sit impossibile. Et videtur fundamentum eorum in ista propositione stare, principium necessariũ, & omninò perfectum ad nihil immediatè contingenter se habet &c. Vndè liquidò patet, quòd quàmuis concludat, & velit ibi Scotus de mente Philosophorum Deum agere mediatè per exigentiam influxus causæ secundę; nulla tamen ratione decernit vlteriùs, sic agere mediatè, vt simultaneum cum agente creato concursum voluerit ab ipso secludere.

Immò oppositum colligitur euidenter ex verbis illius, quoniam in 7. precitata quęst. Quodl. non leuiter indicat hoc, & præsertim in vltima ratione, quam adducit pro Philosophis parùm supra lit. M. vbi sic inquit: *Vltimò videtur istas probationes posse confirmari, & ex intentione Philosophi 8. Phis. vbi videtur velle, quòd quidquid Deus potest immediatè causare, & hoc totaliter necessariò causat; quia non videtur posse poni contingentia ad causandum, & non causandum nisi propter mutabilitatem in agẽte, & hoc quando effectus totaliter & præcisè dependent ab agente. Nunc autem si Deus posset immediatè in quodlibet causabile, quodlibet dependeret totaliter & præcisè ab eo; & per consequens necessariò quodlibet causaret: & tunc sequitur multiplex incõueniens, scilicet quòd causæ secundæ priuarentur actionibus suis, quod tangit prima ratio; & quòd Deus immediatè causaret omnem motum, quod tangit secunda ratio: & quòd Deus immediatè causaret omnem effectum materialẽ; quod*

tan-

tangit tertia ratio &c. Ex quibus verbis si præsertim expendantur ea, in quibus dicit, quòd si Deus sic immediatè causaret omnia, vt totaliter & præcisè produceret illa; cùm necessariò insuper cuncta causaret manifestè, tunc sequerentur tria enumerata inconuenientia, quæ suprà deduxerat: vndè liquidò patet Scotum supponere de mente Philosophorum Deum posse immediatè immediatione suppositi, & immediatione virtutis efficienter influere in productionem omnium entium; sed non ità immediatè, vt totaliter & præcisè per exclusionẽ cooperantis causæ secũdæ temporalia producere valeat.

Colligitur etiam hoc ex primo dist. 42. quęst. vnica sub lit. A. vbi explicans quo sensu Deus sit theologicè omnipotens, & immediatè cuncta producere possit, inquit: *Alio modo accipitur omnipotens propriè theologicè, pro vt omnipotens dicitur, qui potest in omnem effectum immediatè & in quodcunq; possibile, hoc est in quodcunq; quod non est ex se necessarium, nec includit in se contradictionẽ; ità inquam immediatè, quòd sine omni cooperatione cuiuscunquè alterius causæ agentis &c.* Igitur sicut omnipotentia theologica ea est, quę in entium productione nõ admittit cooperationem cuiusuis agentis creati; ità similiter ecõtrà omnipotẽtia philosophica erit illa, quæ supposita in omnipotente immediatione suppositi, & virtutis in efficiendo temporalia simpliciter necessariò admittit consortium cooperãtis causæ secundæ.

Quod euidenter colligitur ex ijs, quę paulò inferiùs inquit sub lit. B. vbi postquàm explicauit, & conclusit, quòd

quan-

quantùmuis causalitas inferioris agentis eminenter cõtineatur in causa suprema;& quòd non prætereà potest indè deduci, primum efficiens posse se solo per exclusionem influentis causæ secundæ producere quæcunq; creata; cùm penitùs abhorreat hoc essentialis superiorũ & inferiorum agentium ordo, hæc subiungit formalia verba: *Et hoc maximè ponerent Philosophi, quia non potuerunt causam secundam necessariò concurrentem propter aliquam perfectionem addendam effectui; sedquasi magis propter imperfectionem addẽdam, quia causalitas primæ causæ immediatè perfecta est, ideò posuerunt eam non posse immediatè esse causam alicuius imperfecti effectus: & ideò oportet causam agentem aliam concurrere imperfectionem, vt illa prima non produceret secundum vltimũ potentiæ suæ; sed cum illa causa agente secunda effectum diminutum, & imperfectũ produceret &c.* Ex quo testimonio illud est præcipuè notandum, quòd cũ inquit, Philosophos posuisse causam secundam cõcurrentem cum prima ad temporalium effectionẽ non propter perfectionem, sed propter imperfectionem addendam effectui; necessum est, vt ad productionem eorundemmet causabiliũ posuerint etiam efficientem cũ secunda primariam: causa namquè concurrens, quatenùs talis, formaliter implicant in suo conceptu cooperantem suam alteram causã, vt manifestè nobis elucescit ex ipsa voce & significatione, concursus.

Notanda sunt etiam vltima verba, in quibus dicens: *Sed cùm illa causa agente secunda effectum diminutum, & imperfectum produceret;*

hoc

hoc est non ità perfectum effectum produceret mediãte causa secunda imperfecta, sicut si immediatè produceret non mediantibus causis secundis &c. Disertè fatetur, quòd ideò causa secunda agit ad productionem effectus cum illa, idest simul cum causa suprema ad hoc; vt per eius concursum contemperetur & minuatur efficacitas eius, & vis illius infiniti vigoris, quem vtiquè ad destructionem potiùs quàm ad constructionem temporaliũ entium exerceret primum efficiens, si se solo produceret illa. Probatur demùm noluisse Scotũ cum hoc, quod ad mentem Philosophorum negauerit causæ supremæ in temporaliũ productione immediationem causæ simul sibi adimere immediationẽ virtutis & actionis; quoniã in 4.dist.43.quęst.2. sub lit. M.proposito dubio quid sẽserit Aristoteles de inceptione animæ intellectiuæ: an videlicet immediatè producatur à Deo, an autem ab aliquo alio; & propositis hinc indè rationibus dubitandi, dubio tandèm ità respondet: *Potest dici, quòd potuit eam immediatè accipere esse, & nouum esse à Deo, quia quòd accipiat esse, satis sequitur ex principijs eius; cùm non ponat eam perpetuò præcessisse sine corpore, nec priùs in alio corpore, & non est probabile secundum rationem, à quo possit recipere totale esse, nullo præsupposito, nisi à Deo &c.* Et id ipsum asserit in eadem quęst. sub lit. H. & in eadem dist. q. 3. sub lit. Q. & in 2. dist. 17. quęst. 1. sub lit. B. & in 7.q. Quodl. sub lit. R. & euidentiùs in vltima quæst. Quodl. sub lit. Q. vbi non tantùm animæ intellectiuæ productionem: sed etiam fortuitos nõnullos effectus

putat

putat reuocandos ad immediatum Diuinum influxum; nec inquit, hanc si defenderimus opinionem de mente Philosophi, contradicemus ijs, quæ dicit ipse in 8.Phis. text. com.79. quòd infinita potentia videlicet non potest immediatè mouere corpus in tempore. Audiamus quæso Scoti nostri formalia verba, ait igitur ibi: *Dicendum ergo, quòd non contradicit sibi in libello de bona fortuna, & 8. Phis. secundũ quod aliqui volunt sibi imponere; quia si secundum primã viam sufficiat omnem effectum fortuitum reducere in Cœlũ, hoc non ponit aliquam nouitatem vel mutabilitatẽ in Deo, quia non causat Deus effectus fortuitos de nouo, nisi mediante Cœlo, & hoc non est contra eum. Dato etiam secundum aliam viam, quòd oporteat aliquos effectus fortuitos nouos reducere immediatè in Deum, adhuc non contradicit sibi ipsi; quia certum fuit Aristotelem secũdum sua principia posuisse animam intellectiuam esse à Deo immediatè, & ad hoc attingere potest ratio naturalis, cùm sit immortalis: & ità aliquid nouum potest immediatè esse à Deo, & tamen non contradicit sibi secundũ sua principia &c.* Ecce quàm liquidò patet sustiuuisse Scotum de mente Philosophi, multorum tẽporalium effectionem rationalis animæ, & fortuitorum effectuum, videlicet immediatissimè ab influxu pendere Diuino; nõ benè igitur hinc in præcedẽti Propositione à labe Durandi liberauimus illum.



PRO-

PROPOSIT. V.

Oſtenditur multipliciter Scotum ſuſtinuiſſe de mente Philoſophi ſupremum efficiens mediatè, tùm per incluſionem alterius cauſæ, tùm etiam per excluſionem propriæ virtutis in ſublunarium productionem influere.

FAteor quidem teſtimonia in oppoſitum Scoticæ iuſtificationis,& immunitatis à ſententia Durandi in pręcedenti Propoſitione relata, magnum poſſe puſillanimis faceſcere negotium; primo ſiquidem intuitu omninò eneruare videntur ea, quæ cap. 3.ex Philoſophorũ ſententia de primi efficientis in operantes cauſas influxu pro noſtro Scoto decreuimus: ijs tamen non obſtantibus firma, ſtabiliſquè manet veritas illa, quam ex eius doctrina deduximus ibi, & nunc in pręſenti Propoſitione fuſiùs demonſtrabimus, & in ſubſequentibus etiam ex teſtimoniorum explicatione ſolidiùs comfirmabimus eam;vndè illud in primis cuilibet ob oculos habendum cenſemus, quòd quantùmuis vltrò concedamus (quando quidem non eſt, qui poſſit hoc reuocare in dubium) Scotũ in primo diſt.42.& in 7.q.Quodl.mouiſſe difficultatem de ſupremi efficientis influxu ea pręcipua ratione, vt de mente Philoſophi cõtenderit oſtendere, ità primam cauſam quę in eius ſentẽtia eſt principium neceſſariò productiuum & omninò perfectum, in temporalium productione mediam exigere cauſam; vt nullatenùs immediatè, ideſt ſe ſola totaliter ſine interuentu mediæ cau-

ſę, vel attingentis terminum aut diſponentis ad illũ, ſicut dicit Scotus in 7. q. Quodl. ſub litera L. & ſub lit. R. in q. vlt. ſub lit. Q. & colligitur ex 4. diſt. 43. q. 2. ſub lit. N. nouiter cauſabilium attingere valeat. Hinc tamen nimis ineptè inferretur vlteriùs, Scotum noluiſſe de mente Philoſophorum excludere à primo efficiente immediationem virtutis & attingentiæ reſpectu productionis nouiter cauſabilium: vndè quæſo, & qualis eſt cõſequentiæ locus.

Vtramquè igitur immediationem de mente Philoſophorũ negat Scotus cauſæ ſupremæ, & illam videlicet, quæ mediæ cauſæ, vel attingentis terminum vel diſponentis ad illum; & eam, quę virtutis & influxus excluſionem importat, ea tamen lege, vt quemadmodùm euidenter apparet ex ipſo contextu & ex citatis teſtimonijs, noſter Scotus de mente Philoſophorum prioris principaliùs, quàm poſterioris immediationis excluſionem à primo efficiente in temporalium productione cõtenderit: prioris enim immediationis excluſio magìs vrgebat de mente Philoſohorum; quandò quidem ea prior immediatio cauſæ (ſicut illam vocat Scotus) nulla ratione cohærere poterat cum hoc philoſophico principio; quòd prima cauſa videlicet eſt principiũ neceſſariò producẽs, & omninò perfectum.

Sed inquies, igitur pluſquàm ineptè probatũ eſt in 3. Prob. Scotum non adhęſiſſe Durando ex ijs teſtimonijs, in quibus Scotus de mẽte Philoſophorum excluſionem prioris immediationis: quæ namquè excogitari poterit illatio ineptior ea,

in qua diceretur, Deus in temporaliũ effectione simpliciter necessariò primam immediationem; ergo similiter secundam excludit, optimè tamen valeret econtrà. Deus in temporalium effectione nõ concurrit immediatè immediatione virtutis & attingentiæ; ergo Deus in temporalium productione non concurrit immediatè immediatione causæ, per exclusionem videlicet dispositiui, vel principalis agentis: posterior enim immediationis exclusio ità infert posteriorẽ immediationis exclusionem, sicut inferius suum infert superius; & ideò optima est secundi Enthymematis illatio, in priori verò committitur fallacia consequentis, vt patet.

Ad hanc obiectionem facilis est responsio: nam & si vt dictum est, principaliter & explicitè Scotus immediationem importãtem mediæ causæ, vel principalis, aut disponẽtis exclusionem de mente Philosophorum demonstrare cõtenderit, implicitè & concomitanter etiã simul cum exclusione immediationis prædictæ, aliam insuper virtutis immediationem in nouiter causabilium effectione à prima causa secludere voluit; quod Sole limpidiùs patet ex rationibus, quas in 7. quæst. Quodl. sub litera L. ad probandum primam immediationem ex auctoritate Philosophorum desumptas adducit: illæ namquè rationes si benè considerentur, & expendantur, deprehendentur demonstrantes vtriusq; simul immediationis exclusionem; breuiter ergo, si placet, singillatim ponderemus ipsas.

Prima, quæ desumitur ex eo, vt inquit Scotus ibidem:

Quia si posset omnem effectum immediatè causare sine causa secunda, sic posset facere, quòd nulla causa secunda haberet actionem propriam &c. Euidenter demonstrat exclusionẽ vtriusq; immediationis, & euidentia istius rationis colligitur ex Scoto in primo dist. 8. q. 5. sub lit. T. & in eodem primo dist. 42. sub lit. B. vbi proponens hanc eandem rationem, sic ait: *Prætereà si Philosophi posuerunt Deum esse necessariò agẽtem, sicut videntur multi eorum sensisse, & posuisse; si cùm hoc ponerent, quòd esset omnipotens secundum istum intellectum secundum, haberent negare omnem aliam causalitatem cuiuscunq; causæ secundæ, quod est maximum inconueniens eis: nam causa necessariò causans in quocunquè instanti comparetur ad effectũ, necessariò in eodem instanti causat & agit; ergo (cũ priùs comparetur causa superior ad effectum, inferior & tunc per se necessariò est omnipotens) in illo instanti producit effectum totum, ergo in secundo instanti, in quo comparatur causa secunda ad eundem effectum, nihil intelligitur tunc causandum, & ità agens secundum, vel causa secunda nihil potest causare &c.* Ex quibus verbis illud ad nostrum propositum aduertẽdum occurrit, quòd Scotus necessariò de mente Philosophorum colligere debet ex illo ipsorum principio, quòd si Deus videlicet sit perfectissimum agens, & necessariò producat quæcunq; producit, primam causam immediatè vtraq; immediatione producere cuncta sublunaria; aliter qua ratione, data hypothesi, concipi posset secundas causas proprijs tunc priuari facultatibus operandi. Igitur cùm Scotus

in

in ea ratione de mente Philosophorum intendat oppositum conclusionis, quam in eadem ratione deduxit, sequitur tunc euidenter, quòd sicut in conclusione inferebatur vtriusq; immediationis positio in efficiente supremo; itá correspondenter in eiusdem conclusionis opposito implicabitur vtriusq; immediationis ab eodem agente seclusio.

Demonstrat id ipsum ratio secunda, quæ desumitur ex eo, quod Aristoteles habet in 8. Phis. tex. com. 79. vbi concludit potentiam infinitam non posse immediatè mouere corpus in tempore; aliter aliqua finita virtus augmentata posset mouere in ęquali tempore, quod proportionaliter minueretur ad accretionem mouētis finitę virtutis. Decernit igitur Scotus de mente Aristotelis infinitam potentiā non posse se sola mouere Cœlū in tempore, seù diuisibili motu; ergo infinita potentia motrix excludit in successiuo motu Cœlorū priorem immediationem, quia propter deductum inconueniens necessariò exigit mediam causam ad Cœlū successiuè mouendum, ergo simpliciter necessariò debet insuper excludere respectu motus eiusdem immediationem virtutis & attingentię. Patet euidenter hac vltima consequentia, quia nisi infinita potentia motrix simul excluderet posteriorē hanc immediationem; itá vt finita, & infinita potentia vniformiter immediatè immediatione virtutis attingerent motum Cœli, successiuè mouendi tunc absq; vlla facta accretione in virtute potentię finitę, eadem finita potentia in ęquali, immò in eodem tēpore, vt dicit Sco-

tus

tus in 7.q. Quodl.ſub lit. H. Cœlum ſucceſſiuè moueret, aliter non eſſet intelligibile, qua ratione finita potentia influxu concordi ſimul cum infinita potentia ſucceſſiuum Cœli motum attingere poſſet.

In iſto eodem tex. 79. & & in tex.78.concludit idem Ariſtoteles, mouens infiniti vigoris non poſſe immediatè mouere Cœlum, quoniã tunc ex infinitate virtutis moueret illud in inſtanti, quod implicat in motu circulari, vt etiam declarat Scotus vbi ſuprà q.7.Quodl. ſub lit.L. Siquidem ibi poſt prædictã rationem, qua probauerat non poſſe Deum immediatè mouere Cœlum in tempore, ſtatim proponens dubium: An ſaltem poſſet hoc in inſtanti, difficultati reſpondens hæc verba ſubiungit: *Si dicatur, quòd poteſt rem motus cauſare, ſed ſine ſucceſſione, quia per mutationem ſubitam ad illud, ad quod finitum mouens moueret in tempore: Contra hoc non ſoluit, quia Deus non poteſt immediatè cauſare motum circularem Cœli; quia nõ in tempore, vt conceditur, nec in inſtanti, quia in illo inſtanti totum Cœlum eſſet in eodem loco, & quælibet pars ſui in eodem loco, in quo priùs, ergo in illo inſtanti Cœlum non mutatur &c.* Hinc manifeſtè colligitur Scotum voluiſſe de mente Philoſophi primũ motorem non ſolùm non poſſe mouere Cœlum immediatè per excluſionem alterius cauſę mouentis: ſed nec etiam immediatè per incluſionem virtutis, & attingentiæ, aliter ſemper id ipsũ ex inſtantaneo Cœli motu deductum, ſequeretur abſurdum; quandoquidem ex vi concurſus inferioris agentis nulla ratione poſſet ità cohi-

beri

beri & attemperari primi motoris influxus, quin ex vi neceßitudinis & infinitatis illius, indiuisibiliter etiã cœlestes impelleret orbes.

Immò verò ex eadẽ propositione vel primum efficiẽs omninò præueniret virtutem subordinati mouentis, vt superius explicuimus de mente Doctoris; vel si nõ præueniret, ità tunc violenter raperet illud ad motum globi cœlestis, vt ad inuisibilem impulsum determinaret & constringeret ipsum, quod esset impossibile, non solùm per hoc, quia implicat quamlibet sphæram in instanti moueri: sed etiam ex eo, quòd cùm de mente Philosophi nequeat finita virtus mouere Cœlum in æquali tempore, quo moueret illud, quantò minùs vt colligitur ex Scoto in 7.q. Quodl. sub lit. H. nequibit hoc ipsum in mẽsura indiuisibili. Hanc eandem rationem ducentem ad aliud impoßibile de mente Philosophi tangit Scotus in primo dist. 8. q. 5. sub lit V. vbi sic ipse discurrit: *Per idem mediũ ex necessitate causandi, & vltimata causatione sequitur, quòd mouebit in tempore; aut saltem mutabit Cœlum in non tempore, ità quòd Cœlum nõ propriè mouebitur. Nec valet illa responsio tacta suprà q. præallegata de infinitate, quia ista virtus infinita habet omnẽ perfectionem causæ efficientis in se, quam ipsa habet cum causa secunda proxima; & ideò sequitur, quòd immediatè potest causare omnem illum effectum in Cœlo per se, quem potest causare cum intelligentia, ergò & causat, si necessariò agit, quidquid potest: & vltrà, si causat illud immediatè; ergo mutat & in non tempore, quia potentia infinita agens secundum vltimũ poten-*

potentiæ suæ non potest agere in tempore: Si autem aliquis motus Cœli potest in non tempore ab isto mouente, igitur est, & si hoc; ergò nulla est generatio & corruptio in inferioribus, quæ sunt contra Philosophos, igitur illa, ex quibus sequuntur ista, sunt falsa secundum Philosophos &c. Quid clariùs?

Tertia etiam ratio desumpta ex Aristotelis, & Commentatoris auctoritate, sic euidenter nostrum demonstrat intentum, vt etiam cæcutiẽtibus innotescere debeat. Scotus igitur dicit ibidem, quòd: *Tertiò hoc videtur ostendi de quocunq; effectu materiali, quia per transmutationem materiæ, vt videtur, habet produci: videtur enim Aristoteles 7. Metaphys. text. com. 28. contra Platonem probare, quòd separatum à materia non possit immediatè transmutare materiam. Et Commentator ibidem com. 28. & 31. impossibile est, quòd formæ separatæ transmutent materiã: nihil enim transmutat materiam, nisi quod est in materia &c.* Quibus clarioribus verbis poterãt Philosophus, & Cõmentator immediationẽ vtramq; in tẽporalium productione à primo efficiente secludere. Nec obstat, si dicatur, quòd Scotus in eadem q. respondẽdo pro Theologis ad istas Philosophorum rationes, dicat sub litera Q. Commentatorem ibi non olfecisse mentem Philosophi; quoniam inquit: *Sed meliùs videtur, quòd quando litera Aristotelis potest habere sanum intellectum, & litera Commentatoris sanum intellectum habere non potest; quòd dicatur Auerroem non habere intentionem, & saluetur eius intentio, quod hic etiam videtur posse fieri: nam de hoc ad præsens breuiter transeundo*

dici potest, quòd Aristoteles ibi arguit contra Platonem, probando, quòd ideæ non sunt necessariæ ad generationem, quia sufficit hoc aliquid ad generandum hoc aliquid: sed nec ideæ possunt generare hoc aliquid, quia si generans non est hoc aliquid, nec genitum erit hoc aliquid &c. Nihilominùs tamen liquet saltem ex verbis Auerrois, eam fuisse Philosophi mentem, atquè propositum, vt omninò in nouiter causabiliũ effectione vtramquè immediationem primo efficienti negare voluerit, sicut ipsemet Scotus disertis verbis fatetur paulò inferiùs dicens: *Ad tertium, absolutè concedẽdum est tàm Aristotelem, quã Auerroem; Deum posse immediatè mouere corpus, negasse: & in hoc habet Theologus vtrumquè negare. Posuerunt tamen, Deum mouere Cælum mediatè, scilicet mediante intelligentia, quæ est propria motrix Cæli &c.*

Quarta ratio demùm, desumpta ex necessitate & infinitudine virtutis agẽtis supremi, cùm sit aliarum confirmatiua, & ferè coincidat cum prima, nostrum etiam demonstrat intentum; dicit etenim Scotus: *Vltimò videtur, istas probationes posse confirmari, & ex intentione Philosophi* 8. *Phis. tex. com.* 79. *vbi videtur velle, quòd quidquid Deus potest immediatè causare, & hoc totaliter necessariò causat; quia non videtur posse poni contingentia ad causandum, & non causandum nisi propter aliquam mutabilitatem in agente, & hoc quando effectus totaliter, & præcisè dependet ab agente. Nunc autem si Deus posset immediatè in quodlibet causabile, quodlibet dependeret totaliter & præcisè ab eo; & per consequens necessariò quodlibet*

bet causaret: & tunc sequitur multiplex inconueniens, scilicet quòd causæ secundæ priuarentur actionibus suis, quòd tangit prima ratio; & quòd Deus immediatè causaret omnem motum, quod tangit secũda ratio, & quòd Deus immediatè causaret omnem effectum materialem, quod tangit tertia ratio &c. In isto discursu illud præsertim aduertas, quod cùm Scotus supponat de mente Philosophi primum efficiens nõ solùm esse necessarium agens & infiniti vigoris: sed etiam eam habere plenitudinem virtutis in operando vt totaliter, & præcisè contineat productionem effectus; non poterit igitur assignari ratio sufficiens, cur his in ipso cõcurrentibus conditionibus, non produxerit ab æterno se solo cunctos effectus: dũ per hoc, quòd suis actiuitatibus priuaret agentia creata, necessariò immediatè vtraquè immediatione posset omnes attingere. Vel si cùm hoc producat illos in tempore, cur igitur nouitas in operando illius immutabilitati non præiudicabit.

Sed inquies, quid igitur dicendum tũc de noua productione animę intellectiuę; nonnè nouitas productionis illius, quam his non obstantibus de mente Philosophi sustinet Scot. in 7. q. Quodl. sub lit. R. in vlt. q. Quodl. sub lit. Q. in 2. dist. 17. q. 1. sub lit. B. & in 4. dist. 43. q. 2. sub lit. M. eidem Diuinę stabilitati similem irrogabit iniuriam.

Respondemus, quòd in ea Propositione, vbi explicabimus Scoti testimonia in oppositum adducta, ex doctrina Scotica ampliabimus, & magis vrgebimus hanc eandem instantiam; & ostẽdemus euidenter nouam ratio-

tionalis animę productionē, nullum de mēte Philosophi præiudicium inferre stabilitati causę supremæ. En igitur quàm verum sit, Scotum voluisse simul excludere à primo efficiente in nouiter causabiliū productione principaliter immediationē, quæ virtutis eius exclusionē importat.

PROPOSIT. VI.

Isthæc eadem Scotica veritas demonstratur vlteriùs.

EVidenter propositum colligitnr insuper ex eadem q,7. Quodl. sub lit. M. vbi posita cōclusione, quòd: *Tenenendum est secundum cōmunem sententiam Theologorum Deum sic esse omnipotentem, quòd sine quocunquè alio agente possit causare quodlibet causabile; & pro Theologis illa probata ex eo, quia virtus actiua cuiuscunquè causæ secūdæ eminentiùs est in prima causa, & in primo agente, quàm in ipsa causa secunda: habens autem eminentiùs virtutem actiuam, videtur posse in effectum absque illo, quòd diminutè habet virtutem illam. Non enim ad productionem effectus requiritur imperfectio virtutis actiuæ; quia nulla imperfectio est ratio agendi, sed est magis impedimentum actionis.* Sic in gratiam Philosophorum assumptam rationem explodit, dùm inquit: *Ista ratio, licèt videatur probabilis, non tamen esset Philosopho demonstratio, negaret enim istā propositionem: Quidquid in se eminenter, vel virtualiter habet virtutem actiuam causæ proximæ, ipsum potest immediatè effectū illius causæ causare; diceret enim, quòd eminentiori modo habens talem virtutem potest quidem in suo ordine in effectum talis virtu-*

tis, sed ordo suus est, quòd sit causa superior, & remotior. In quibus verbis illud aduertendum est primò, quòd Scotus asseruit de mēte Philosophorum ipsos gratis cōcessuros actiuitatem cuiuscunquè causæ secundæ eminentiùs contineri in causa suprema, quàm in quolibet agente creato; & per consequens posse primū efficiens in ordine suo in effectum cuiuslibet causæ secūdæ: sed hinc non concessuros vlteriùs, quòd seipso immediatè nec immediatione per exclusionē alterius causæ, nec immediatione per inclusionem propriæ virtutis, & attingentiæ in productionem nouiter causabilium influere valeat. Primum patet, secundum probatur euidenter per vltima verba, quibus Scotus sic inquit: *Sed ordo suus est, quòd sit causa superior & remotior*; ideſt illud habet peculiare primum efficiens in ordine suo, vt simul sit causa superior, atquè remotior. Sit (inquam) superior, vt indè colligitur quasuis alias causas essentialiter ab ipsa, & in essendo & in operando pendere: sed sit etiam causa remotior, vt hinc insinuetur primum efficiens non immediatè, sed remotè tantùm cuncta temporalia producere, quod cōfirmat in 4. dist. 43. q. 2. sub lit. M. *Ad aliud valdè dubiū est, quid ipse senserit de inceptione animæ intellectiuæ: Si enim non ponit Deum aliquid immediatè de nouo agere; sed tantummodò motu sempiterno mouere Cælum, & hoc vt agens remotum.* Hanc etiam explicationem nō leuiter indicant ea, quæ ad exactam eiusdem ordinis euidentiam satis acutè subiungit ibidem 7. quęst. Quodl. videlicet inquiens: *Vbi enim est ordo essen-*

ſentialis, ibi non poteſt aliquid eſſe proximum imperfectiſſimo, niſi ipſum ſit aliqualiter imperfectum; quia ſi perfectũ eſſet proximum imperfectiſſimo, eſſet æquè immediatum cuilibet alij à ſe, & tunc iſta non haberent ordinem eſſentialem, ſicut non eſſet ordo eſſentialis in ſpeciebus numerorũ, ſi quælibet æquè immediatè produceret ab vnitate. Ex quo patet, quòd iſtam propoſitionẽ negaret Philoſophus, perfectior cauſa immediatiùs cauſat, intelligendo per immediatiùs excluſionem cauſæ propinquæ actiuæ; immò diceret, quòd ſicut perfectior eſt cauſa ſuperior, ità per plures cauſas medias cauſat: nec iſtæ cauſæ mediæ requiruntur, vt addatur perfectio cauſalitatis, quæ tota perfectiſſimè eſt in ſola prima; ſed magis requiruntur, vt habeatur ordinata perfectio deſcendens ad vltimum imperfectum, ordinata autem perfectio non habetur ſine diminutione perfectionis, & cum imperfectione annexa. Cùm igitur ex vi eſſentialis ordinis velit Scotus de mente Philoſophi, quòd perfectiſſimũ ens non poteſt eſſe ſic proximum & immediatum imperfectiſſimo enti: quaſi verò immediatè per excluſionem alterius agentis originem videlicet trahere poſſit iſtud ab alio (de hac namq; virtutis & originis immediatione loquitur ibi ſubtiliſſimus Doctor, vt patet) neceſſum eſt etiam, vt actiuitatis immediationẽ ſimul excludat ab ipſo; quoniam hac non excluſa, quantùmuis ſecludatur altera prior, ſemper ſupremum efficiens redoleret, ſaperetquè minimorum entiũ imperfectionem, ſiquidem etiam tunc imperfectio entis viliſſimi refunderetur in ens perfectiſſimum, à quo immedia-

tè

tè penderet in esse. Qua ratione (quæso) posset vitari talis imperfectionis refusio imperfectissimum agens ex solo causæ secundæ concursu cum illo, cùm non est, qui sic desipiat; vt concedat vilescere Deum, si se solo vilissimum producat effectum, & concedere nolit vlteriùs ipsum vilescere, si cõcurrente secum causa secunda immediatè immediatione virtutis vile attingat effectum.

Diceret ergo Philosophus, sicut etiam asserit Scotus in vltimis verbis testimonij citati, quòd ad hoc vt ordinatè fiat distributio & communicatio perfectionis entis supremi ità descendere debet vsquè ad vltimũ imperfectũ, vt necessariò oporteat fieri cum diminutione perfectionis, & cum imperfectione annexa; idest sic ordinatè diffluere, & pertingere debet vsquè ad vltimum imperfectum, vt cum debita proportione & correspondentia perfectissimus à perfectissima, perfectus à perfecta & imperfectissimus effectus à sola imperfectissima causa immediatè vtraq; immediatione ponatur in esse: ità vt talis sic ordo producẽtium & productorum, quòd si vilis effectus à correspondenti causa proximę & immediatæ producatur in esse: sic idem effectus remotè & mediatè producatur etiam ab agente superiori iuxta illum òrdinem aureæ cathenæ, quam Auicennas confixit, & quam Scotus de mente Philosophorum indicat in quarto dist. 12. q. 2. sub lit. F. dum inquit: *Nec mireris talem ordinem diuersum assignari ad primum secundum diuersas perfectiones; quia quælibet perfectio potest esse principium vnius hierar-*

rar-

rachiæ naturalis vel ſecundum Philoſophos vnius cathenæ aureæ: & ità ſecundum diuerſas perfectiones ſimpliciter in primo participatas ordinatè à diuerſis poſſunt attendi diuerſæ cathenæ aureæ.

Sed hìc poſſet fieri difficultas non paruipendenda, qua ratione videlicet explicare poterit de mente Philoſophi diſtributio, & emanatio perfectionis entis ſupremi cum diminutione & imperfectione deſcendens vſque ad vltimũ imperfectum; ità vt in vniuerſo aſſignari poſſit perfectorum & imperfectorum agentium, & correſpondens eis cauſabilium ſeries & ordo cum ea, quæ immediatè produxit primum efficiens, qualia ſunt omnia ſempiterna, vt colligitur ex Scoto in 7.q. Quodl. ſub lit. II. ſint entia perfectiſſima, & ex neceſſitate ineuitabilitatis & immutabilitatis agentia, quemadmodùm cauſa ſuprema; cur igitur non etiam ipſis imperfectiſſimus correſpondebit effectus, & huic alteri producenti non ſimilis inſuper ex eodem capite reſpondebit effectus, & ità deinceps vſquè ad vltimum.

Cæterùm, quia difficultas propoſita aliarum obſcuriorum difficultatum prolixam diſcuſſionem exigeret; nùm videlicet de mente Philoſophi intelligentiæ pendeant à prima in genere cauſę finalis dumtaxat: An ſimul etiam in genere cauſæ efficientis, & dato quòd agnoſcant eam in vtroquè genere cauſæ; vtrùm tunc ſint entia formaliter infinita, & ſimpliciter neceſſaria? Et an demùm ſeipſis immediatè, an mediãte globorum cœleſtium motu cum vniformitate in toto & difformitate in partibus mobilis in productionem

ſub-

ſublunarium influant. Libē-ter igitur & conſultò cum iſtis ipsā in præſentia dilucidandam omittimus, eo vel maximè; quia huiuſmodi difficultatum explicatio nimis indirectè ad noſtrum inſtitutum attineret. Curioſi tamen conſulant interim Scot. in 7. q. Quodl. ſub lit. E E. & deinceps. Et in primo diſt. 8. q. 5. per totum; quoniam ex his citatis locis horum omnium dubiorum notitiam adipiſcentur exactam.

Euidentiùs colligitur inſuper principale propoſitum ex 7. q. Quodl. ſub lit. N. vbi volens Scotus oſtendere nō poſſe demonſtrari demonſtratione, quia Deum eſſe omnipotentem omnipotentia Theologica. Primò inquit, nullum vnquàm ex Philoſophis ad iſtius veri notitiam deueniſse; quia cauſalitatis ordo non concludit euidenter ex naturalibus Deum eſſe theologicè omnipotentem, ideſt poteſt optimè ſaluari ex naturalibus eſſentialis ordo cauſarum: quantùmuis aſſeramus primam cauſam in ſublunarium productione inferiorum agentium egere virtute; deindè probat intentum in genere cauſæ materialis, formalis, efficientis reſpectu cognitionis, & poſtremò finalis; & hæc ſunt formalia verba: *Hoc etiam manifeſtius eſt in alijs generibus cauſarum; ſi enim ſecundū aliquos eſſet ordo eſſentialis in materijs, puta quòd prima materia animæ intellectiuæ propinqua ſit corpus organicū, & ſic vlteriùs vſq; ad materiā ſimpliciter primam, cùm ſit propria materia reſpectu formæ primæ ſubſtantialis, non oportet quòd materia ſimpliciter prima poſſit eſſe materia immediata reſpectu cuiuſcunquè*

què formæ, cuius potest esse alia materia secunda. Hoc etiã patet in formis, non enim oportet quòd prima forma possit esse immediata forma cuiuscũq; informabilis, cuius potest esse immediatè alia forma secunda; & hoc siuè prima forma & secunda accipiantur ordine generationis, siuè perfectionis. Ista, quæ dicta sunt de causa materiali, & formali, habent maiorem euidentiam, si vera sit opinio de pluralitate formarum; de quo modò non est, quæstio: sed ad propositum sufficit, quòd si in causis materialibus & formalibns esset ordo non oportet quòd primum esset causa immediata cuiuscunquè causabilis; ergo modò vbi talis ordo est, puta in causis efficientibus, non oportet quòd prima possit esse causa immediata cuiuslibet. Hoc etiam patet in causis efficientibus respectu cognitionis, nam principia ponũtur causæ respectu cognitionis cõclusionis, vt habetur 2. Phis. tex. com. 86. & indè, ac in primo posteriori; licèt primũ principiũ habeat veritatẽ euidentissimam, & etiam contineat eminenter & virtualiter veritates omnium posteriorum: non tamen oportet, quòd possit esse immediatè causa cognoscendi quodcunquè posterius; immò oportet per media ordinatè procedere ad hoc, vt acquiratur cognitio conclusionis remotæ. Hoc tandem patet in ordine causarum finalium, accipiendo enim vltimum in aliqua coordinatione finium, non oportet quòd illud possit esse causa finalis immediatè respectu cuiuscunquè; quia aliquod remotum non ordinatur ad ipsum, nisi mediante fine propinquiori sicut organa exteriora ordinata ad potionem vel incisionem, non ordinantur ad sanitatem nisi mediantibus istis finibus proprijs.

Et licet hac inductione

principaliter Scotus probare cõtẽdat, quòd primũ efficiẽs ad temporalium productionem mediatè per inclusionẽ inferioris agentis; concomitanter tamen ostendit vlteriùs, quòd etiam mediatè per exclusionem propriȩ virtutis & actionis concurrat & influat. Et quantùmuis non ostenderetur vtrumquè per rationem ex materiarum & formarum ordine, quem seruant in constitutione viuentis compositi; quoniam in istis duobu causarum generibus posset dicere Aduersarius, quòd ex paritate ordinis materierum & formarũ non potest aliud ostendi, nisi prioris immediationis exclusio, quia licet prima materia non se sola recipiat secundam formam substantialem: sed immediatum receptiuum illius sit id, quod cõstituitur ex nuda materia & forma priori, vt dicit Scotus in 2. lib. Report. dist. 37. q. 1. §. *Alia opinio &c. Prima forma substantialis aduenit materiæ primæ, ità quòd ipsa est immediata causa materialis illius compositi perfectioris; quia immediatè perficitur ab intellectiua corpus organicum. Hoc videtur mihi probabilius, quàm quòd quælibet forma substantialis immediatè perficiat materiam primam*. Adhuc tamen prima materia immediatè seipsa concurreret ad posterioris formæ receptionem, aliter materia prima non esset essentialis, & intrinseca pars illius cõstituti; & id ipsum correspondenter dicendum est de formis substantialibus, similem in informando seruantibus legem & ordinem. Quantùmuis (inquam) non ostenderetur vtriusquè immediationis exclusio in hisce duobus causarum generibus, si daretur in illis matarierum

& for-

& formarum ſubſtantialium ordo in conſtituendum cõpoſitum idem humanum; illam tamen euidentiſſimè conuincunt aliæ duæ rationes, quarum altera ex ordine mediorum ordinatè concurrentium ad productionẽ ſcientificæ notitiæ, & altera ex ordine finalium cauſarum deſumitur.

Alicuius igitur concluſionis notitia demonſtrata in ſcientia ſubalternata pendet eſſentialiter & adęquatè ex primo & particulari medio contento intra latitudinem eiuſdem ſcientiæ, & pendet etiam ex euidentia vniuerſalioris principij, quod ex terminis ſuis innoteſcit in ſubalternante ſcientia; vt exemp. grat. notitia concluſionis in perſpectiua pendet ex principio confusè noto in ipſa, & pendet ex principio diſtinctè noto in Geometria ſubalternantę ſibi perſpicuam: ſed ea legę ab vtroquè dependet, vt totaliter & immediatè à principio confusè noto in perſpectiua, & mediatè tùm per incluſionem alterius principij, tùm per excluſionem propriæ virtutis & euidentię pendeat in eſſe à principio diſtinctè noto in Geometria. Sed quòd mediatè primo modo pendeat ab vniuerſaliori & remotiori principio patet, quia ſupponimus nũc euidenter perſpectiuum ex proprijs principijs dumtaxat demonſtrare quandoquè, & quòd mediatè ſecundo modo ab eodem principio ponatur in eſſe: probatur; quia quando perſpectiuus demonſtrat, non eſt ſibi neceſſarium, quòd propter illius demõſtrationis certitudinem & euidentiam, actualiter tunc ſimul applicet ſciẽtiæ ſubalternantis principia: quaſi verò eandem conclu-

ſionem ſimul deducere debeat ex ſubalternatæ, & ſciẽtiæ ſubalternantis principio, vt patet. Scientifico tamen ſubordinato eſt ſimpliciter neceſſaria, vt quemadmodùm aſſerit Scotus in 3. diſt. 24. q. vnic. ſub lit. H. & I. ſi rigoroſè demõſtratiuam velit habere notitiam, optimè ſciat concluſionem ſuam reſoluere in principium, quod ex proprijs terminis euidenter clareſcit in ſubalternante ſcientia; quandoquidem ſubalternantis concluſiones ſunt ſubalternatæ ſcientiæ principia.

Patet igitur de mẽte Scoti, Philoſophorum ſententiã explicantis; quòd ſicut etiam ſalua eſſentiali ſubordinatione, remotius medium, vniuerſaliuſquè principium virtualiter continens euidẽtiam proximioris principij demonſtratiuæ notitiæ, mediatè vtraquè mediatione prædicta in eius ſcientificam notitiam influit; ità correſpondenter cauſa ſuprema mediante per excluſionem vtriuſquè immediationis ad ſublunarium productionem concurrit, integro perſeuerante adhuc eſſentiali productorum & producentium ordine: quia quemadmodùm proximioris principij & concluſionis euidentia, vltimò; ſed ordinatè per intermedia principia reſoluitur in euidentiam ſupremi principij, cuius euidentię ordinatè & cum diminutione diſtribuitur, & deſcendit vſq; ad vltimum euidens, quod eſt vltima concluſio demonſtrabilis de aliquo ſubiecto: ità proportionabiliter infimæ cauſæ operandi facultas vltimatè per agentia intermedia ſubordinata reſoluitur in virtutem & efficaciã agentis ſupremi, cuius actiuitas cum diminutione diſtribu-

bu-

buta descendit per ordinatã communicationem vsq; ad vltimum imperfectum.

Sed hìc monitos velim prudentes Lectores prædictã mediorum subordinationem non solùm reperiri in scientia subalternante, & subalternata simul: sed in qualibet singillatim, vt patet discurrenti, quia de vno & eodem numero subiecto possunt demonstrari multę passiones ea lege, vt prior passio sit ratio demonstrãdi posteriorem; vt insinuare videtur Scotus in 3. dist. 14. q.2. sub lit. G. §. *Sed contra &c.* & idem Scotus in 9. q. Quodl. ex medio communi & proprio, demonstrat sub lit. A. & B. quòd repugnat Angelo informare materiam. Nos tamen attulimus exemplum subordinationis mediorum in subalternata simul, & subalternante scientia; quoniam euidentiùs explicabat propositum.

PROPOSIT. VII.

Efficaciùs id ipsum ostenditur demùm.

EVidentissimè tandem hoc ipsum elucescit ex 7.q. Quodl. sub lit. II. vbi cõtendens probare Scotus de mente Philosophorum, intelligẽtias orbium motrices non esse entia à se: sed verè productas à causa suprema, sic ibi discurrit: *Præterea ex eodem* 8. *Phys. tex. com.* 78. *& indè arguitur sic: Philosophus vult ibi, quòd mouens infinitæ potentiæ moueat Cælum motu infinito, & non immediatè, vt dictum est; ergo mediatè scilicet mediante intelligentia. Et hanc esse eius intentionem scilicet mouens finitum mouere Cælum immediatè, & mouens infinitum mediatè dicit Commen-*

mentator 12. Metaphyſ. com. 41. Sunt igitur reſpectu Cæli duo mouentia ordinata. Tunc arguo ſic: Quandocunq; ſunt plura agentia eſſentialiter ordinata, aut ſecundum accipit eſſe à primo; exemplum de Cælo, & igne, ſecundum licèt nõ accipiat eſſe à primo, tamen accipit aliquam influentiam. Exemplum; baculus motum accipit à manu, vt poſſit vlteriùs mouere pilam: aut tertio modo ambo attingunt eundem effectum immediatè, ſed ordine quodam, primum ſcilicet principalius, & ſecundum minus principaliter; tamen ipsũ eundem effectum attingit. Exemplum de Patre, & Matre reſpectu generationis prolis ſecũdum opinionem ponẽtem Matrem eſſe actiuam. Quæro ergo quo iſtorum trium modorum ſe habent iſta duo agentia in mouendo Cælum? Non tertio modo, quia ſtatim ſequitur, quòd in æquali tempore, immò in eodem tempore moueat virtus finita & infinita; quia vtraq; attingit motum immediatè tãquàm proprium effectum. Si detur ſecundum, cùm nihil ſecũdum Ariſtotelem recipiat ab intelligentia, aliud ab eius eſſentia habetur propoſitum. Si detur primum, patet quòd hoc eſt propoſitum; patet ergo quòd Ariſtoteles ſic intellexit iſta agentia eſſe ordinata, quòd ſecundum eſſet à primo; & tunc primum mouet mediatè, & dat eſſe & virtutem proximo mouenti: & quia perpetuò dat illud eſſe & virtutem, ideò eſt cauſa perpetuitatis in motu; finitas autem virtutis, quæ non eſt aliud à natura Angeli, eſt cauſa ſucceſſionis motus, quia illi virtuti poteſt eſſe aliqua reſiſtentia in mobili, quæ non poteſt eſſe virtuti infinitæ.

Quibus (quæſo) poterat euidentioribus verbis noſtrã ſtabilire ſententiam? En quã manifeſtè concedat de mente

te Philosophi productā intelligentiam non alia ratione subordinari efficienti supremo in motione globi cœlestis, quā per hoc, quòd ab illo ea lege recipit esse & virtutem mouendi sphæram cœlestem; vt nullatenùs simul cum ipsa in Cœli motum influere valeat, nisi velimus asserere de mēte Philosophi, quòd non solùm in æquali, sed etiam in eodem tēpore finita & infinita virtus impellant, moueantquè Cœlum.

Hoc ipsum sub eisdem ferè verbis confirmat in 12. lib. Metaph. in exposit. text. 42. vbi proposito dubio: *Vtrùm primum Cœlum moueatur immediatè à primo principio?* Respondet: *Dicendum quòd secūdum veritatem primum mobile habet duo mouentia; vnum separatum, quod est Deus mouens in ratione amati, & desiderati: aliud coniunctum, quod est secunda intelligētia immediata post Deū, à qua immediatè mouetur in ratione amantis; & mediatè prima, quæ est Deus, ipsum primum Cœlum mouet. Et hæc est sententia expressè Auicennæ 9. Metaph. cap. 4. Sed de intentione Aristotelis dicit vnus Expositor, quòd sententia sua est; quòd primum Cœlū mouetur immediatè à primo principio, quod est Deus: sed hoc non videtur*; vt euidenter ostendit ibidem ex intèntiotione Philosophi per hoc, quòd primum mouens mouet dūtaxat in ratione amati, ergo metaphoricè, ergo non efficienter; quemadmodùm in ratione amātis mouet proprium Cœlum intelligentia secunda. Et tandem subiungit, quòd: *Hæc videtur expressa sententia Aristotelis 8. Phis. tex. com. 78. & indè quòd potentia infinita nō potest immediatè mouere corpus*

pus in tempore; quia si sic aliqua potentia finita posset mouere in æquali tempore, eo quòd augmentata virtute motiua minuitur tempus, in quo mouet: Secundũ hoc ergo dicitur, quòd Deus non potest immediatè causare motum propriè dictum, qui cùm sit successiuus necessariò est in tempore; posuit ergo duo mouentia ordinata, quia primum mouet mediatè, quia dat virtutem secundæ: & quia dat perpetuò illam virtutem, ideò est causa perpetuitatis in motu.

Posset hoc vltimò confirmari ex eodem Scoto in 2. dist. 3. q. 10. sub lit. G. vbi postquàm superiùs decreuerat grauia & leuia intrinsecã habere virtutem, & principium mouendi seipsa, tale dubium contra determinata proponit: *Si obijcies quomodò Philosophus, si concedat, graue sic moueri effectiuè à se, licèt non per cognitionem; nec etiam quòd naturalitas eius sit ab eo in quantum habet principium actiuum: quomodò (inquam) habebit principale propositum suum, quòd ista necessariò mouentur ab alio; quod ipse intendit principaliter probare.* Et statim respondens sic ait: *Dico quòd satis habet hoc ex distinctione potẽtiæ: ista enim non reducunt se ipsa de potentia secunda ad actum secundum, nisi priùs reducta fuerit de potentia ad actum primum.* Et paucis interiectis subiũgit: *Sequitur ergo, quòd omne graue & leue, licet moueat se effectiuè de potentia secunda ad actum secundum; tamen mobile est, vel mouetur ab aliquo alio extrinseco à potentia prima ad actum primũ. Non enim oportet, quòd si omne quod mouetur, ab alio mouetur, quòd in omni motu moueatur ab alio; & sufficit Philosopho primum, quia per hoc deuenietur ad aliquod*

aliud

aliud ab omnibus istis, quòd nec in vno motu, nec in quocunq; poterit moueri ab alio, sed est omninò mouens immobile.

Ex quibus verbis non obscurè colligitur Scotum voluisse de mente Philosophi, illum dari essentialem ordinem in motis & mouentibus, vt licèt motum inferius moueatur à superiore mouente de potentia prima ad actum primum; non tamen mouetur à potentia secunda ad actum secundum, idest licèt motum inferius sic moueatur à superiori mouente de potentia prima ad actum primum, vt in essendo tantùm immediatè pendeat ab illo, non tamen mouetur à potentia secunda ad actum secundum: quasi verò sicut inferius agens quantùm ad esse immediatè pendet à superiori mouente; ità similiter quãtùm ad operari immediatè pendeat ab illius influxu: quoniam cùm inferius agens habeat intrinsecam facultatem, & sufficientem virtutẽ producendi proprium actum; non est ergo cur indigeat ad illius effectionem extrinseco, nec totaliter, nec partialiter immediatè producente principio necessario: tamen exigit illud, vt entitatem, & simul operandi virtutem ab eo recipiat; & hac ratione dumtaxat pendebit etiam à supremo mouente penitùs immobili omne, quod immediatè pendet ab ipso. Vulgatum igitur philosophicum illud axioma; *omne quod mouetur, ab alio mouetur*, iuxta Scoticam expositionem eo sensu de mente Philosophi exprimit nobis essentialem motorum & mouentium ordinem, vt infimi mobilis nõ mouentis vlteriùs à suo proximè superiori mouente, & sic ordinatè ascẽdendo dein-

ceps vſquè ad primnm mouens immobile immediatã in eſſendo ſolummodò ſubordinationem, pendentiãquè deſignat. Inferius autem alio pacto & fuſiùs explicabitur iſtud idem philoſophicum axioma, & de mente Scoti nonnulla ſcitu digna dicemus; interim concludamus tandem, quòd firma ſtabiliſquè manet veritas illa, quam Propoſ. 3. vt Scotum à labe Durandi oſtenderemus immunem, de mẽte Philoſophorum ex eius doctrina deduximus ibi.

PROPOSIT. VIII.

Explicantur teſtimonia Propoſ. 4. in oppoſitum adducta.

VT prædicta Scotica veritas magìs ac magìs eluceſcat, & profundiùs ſuas configat radices, breuiter nunc expendenda & explicanda ſunt ea teſtimonia, quæ Propoſit. 5. 6. 7. ex Scoti doctrina in oppoſitum retulimus; & licèt ex ſuperiùs dictis ſatis ſuperquè patet, illa nil nobis obeſſe, & clareſcat inſuper quid reſpondendum eſſet ab ea: nihilominùs tamẽ ad omnem dubitatiunculam, ſcrupulũquè tollendum ſingillatim percurremus ipſa, & ſingulis ſingulas, propriaſquè ſolutiones adhibebimus.

Ad primum igitur teſtimonium reſpondemus negando excluſiuam illam dictionem, *ſolummodò*, indicare nobis, quòd Scotus eo sẽſu de mente Philoſophorũ motam quæſtionem dè immediatione cauſalitatis agẽtis ſupremi exagitare cõtenderit, vt ſolùm in dubium reuocare voluerit influxus Diuini immediationem, quę cauſæ ſecundæ incluſionem im-

importat; siquidem vt ex intuitu literæ patet per illam dictionem, Scotus intendit excludere, vel contradistinguere causam mediam, quę vel efficienter dispositiuè, vel efficienter principaliter influat in productionem effectus ab eo, quòd licèt esset medium ad productionem eiusdem effectus: nullatenùs tamen nec dispositiuè, nec principaliter in illum influeret, sicut est effectus ille qui licet simpliciter necessariò prærequiratur ad productionem alterius effectus; nihilominùs tamen nulla ratione efficienter influit in ipsum. Euidẽntissimè colligitur hoc ex ipsa litera Scoti distinguentis ibidẽ, quod: *Mediatio causæ respectu effectus potest intelligi dupliciter, vel scilicet quòd causat per causam mediam, vel quia causat mediante aliquo effectu; non enim omnis effectus medius ad alium effectum est semper causa illius effectus, ita potest intelligi immediatio causæ actiuæ, vel excludendo causam actiuam mediam, vel excludendo effectum medium priorem illo effectu*. Et hac præmissa distinctione dę duplici mediatione, & immediatione volens hinc exprimere nobis, in quo sensu exagitaturus sit propositam quęstionem, subiungit; quòd haud debet in dubium reuocari Deum ea ratione mediatè producere nonnullos effectus vt simpliciter necessariò ad illorum productionem requiratur alterius effectus positio: nam si quæstionis sensus esset de vtraq; immediatione simul, vt inquit Scotus ibidem, ideſt indistinctè de immediatione causæ, & de immediatione effectus necessariò prærequisiti; nulla ratione tamen concurrentis efficienter. *Dico*

(subiungit) *quòd non solùm Philosophi, sed etiam Theologi negarent Deum esse omnipotentem immediatè; quia non conceditur Deum posse causare relationem, nisi priùs vel duratione, vel natura causando fundamentum, & ità non potest in quemcunq; effectum immediatè, & sic quòd nullo effectu quasi medio priùs natura causato*. Et respuens Scotus, & excludens prędictum sensum quæstionis subnectit: *Est ergo difficultas immediatione vt excludit solummodò causam efficientem mediam; & intelligo effectiuam generaliter, siuè illa causa media in causando attingat effectum principalem; siuè tantùm aliquem effectum præuium, vel disponentem ad illum*.

Ex quibus verbis patet nunc euidenter per illam dictionem, *solummodò*, nil aliud voluisse Scotum excludere nisi priorem quæstionis sensum de medio, quomodocùnq; prærequisito; & per illam simul restringere quæstionem ad exigitũ medium, quod habet rationem causæ vel dispositiuæ, vel principaliter influentis in productionem sublunaris effectus, vt patet. Igitur malè deductum est ex illa particula, *solummodò*, quòd per eam voluerit Scotus sic restringere quæstionem ad sẽsum de immediatione causę, vt simul intenderit excludere eũ sensum de immediatione virtutis & attingentiæ: quasi verò supposuerit Deũ simul cum causa secunda cõcurrere ad productionem effectus, & immediationem priorẽ dumtaxat, in dubium reuocandum censuerit.

Pręstereà ex isto antecedente Scotus in 7.q. Quodl. intendit reuocare in dubium priorem immediationem, etiam si esset absolutè & sim-

ſimpliciter vera, quod negamus; non poſſet tamen indè deduci nisi iſthæc tantùm conſequentia, ergo non intendit reuocare in dubium poſteriorem immediationẽ. Sed tunc diſtinguendum eſt conſequens: Non intendit reuocare in dubium poſteriorem immediationẽ, quaſi verò ſupponat Deũ immediatè immediatione virtutis attingere; ſaltem cum cauſa ſecunda productionem effectus, & ſic falſa eſt conſequẽtia. Non intẽdit reuocare in dubium poſteriorem immediationem primò & principaliter, & tunc ſic vera eſt conſequentia; quia reuerà (vt diximus ſuprà, & ex ipſo textu colligitur) Scotus non in ea quæſt. principaliter cõtrouertere intendit de mente Philoſophorum priorem immediationem: ſed hinc non eſt, cur non concomitanter ſaltem reuocàrit in dubium poſteriorem etiam immediationem, vt ſuprà ex Scoti doctrina deduximus. Et per hoc fit inſuper ſatis ad illud, quod ſubiungitur ibi ex reſponſione ad propoſitum dubium de mẽte Philoſophorum; nã & ſi ad aures illorum priorem principaliter poſterioris etiam immediationis excluſionem Scotus contendit ibidem.

Ad aliud dicendum, quòd ex ipſo magìs oppoſitũ, quã propoſitum colligitur, ſicut ſuprà Propoſit. 5. hoc ipſum teſtimonium expẽdentes oſtendimus, quo ſit, vt omninò ſit falſum, quòd Scotus ſupponat ibi de mente Philoſophorum Deum immediatè immediatione virtutis in ſublunarium productionẽ influere: minimè tamen ſic immediatè, quaſi verò totaliter & præcisè ſe ſolo cunctos effectus producere valeat; & quòd hoc ſecundum

dum-

dumtaxat in dubium reuocare contenderit, & priorem immediationem de industria quasi dimittat intactam tanquàm eam, de qua nulla poterat esse dubitatio, & difficultas de mẽte Philosophorum: Euidentius (inquam) falsitatis conuincitur hoc, tũ ex superiùs dictis, tùm etiam quia Scotus non solùm non supponit ibi primum efficiens immediatè immediatione virtutis posse cũ causa secunda concurrere; sed ex hac eadem immediatione, quæ falsò posset cõcedi, euidenter deduceret ipse, sicut virtualiter saltem intulit ibi, & nos suprà formaliter ex ipso Scoto deduximus, illa eadem tria inconuenientia, quæ ex vtraq; immediatione, si concederetur agẽti supremo, in causabilium omnium productione deduxit ibidem: nõ enim minùs implicaret posterior tantùm, quàm vtraq; immediatio simul in causa suprema, si ponatur quòd sit infiniti vigoris & necessariò producens; quoniam tunc nulla ratione attemperari & cohiberi posset per concursum agentis creati tãtæ virtutis influxus, & per consequens vel præueniret causalitates cuiuslibet causæ secundæ, vel ad instantaneum operandi, mouendiq; modum determinaret semper, & raperet illas, vt suprà probauimus.

Ad illud ex primo dist. 42. desumptum diximus, quòd quantùmuis omnipotentia theologica sit illa, quę coagentis causæ consortium abijcit; opposita tamen omnipotentia philosophica non erit ea, quæ cooperantem causam includit: sed illa tantùm esse debebit, quæ de mẽte Philosophorum compassibilis est agẽti supremo; at non compatitur ipsam, ni-

si eo

ſi eo pacto, quò fusè ſuprà declarauimus ex noſtro Doctore, & ipſemet explicat vlteriùs conceptis verbis in 7. q. Quodl. ſub lit. Aa. vbi reſpondens ad conſequentiam principalis argumenti, ſic ait: *De conſequentia autem, licèt infinita potentia actiua ſit verè omnipotentia; non tamen ſequitur ſi ratione naturali poteſt concludi hoc habere infinitam potentiam, ergo & omnipotentiam, quia non eſt notum ratione naturali infinitam potentiam eſſe omnipotentiam, & hoc totum intelligendo de omnipotentia immediata reſpectu cuiuſcunq; poſſibilis. Cùm probatur, quòd infinita potentia ſit omnipotentia, quia infinita potentia non poteſt excedi, nec intelligi excedi; quæcunq; autem potentia, quæ non eſt omnipotentia poteſt intelligi excedi. Reſponderet Philoſophus, quòd potentia ſuprema non eſt omnipotentia, ſicut intelligimus omnipotentiam; & tamen eſt infinita potentia. Nō ergo poteſt intelligi excedi ſecundum intentionem, quia ſic infinita eſt; ſed licèt poſſit intelligi excedi aliquo modo ſecundum extenſionem, quia nō eſt omnipotentia, non tamen propriè hoc intelligi poteſt, quia non ſine contradictione: quia diceret Philoſophus, quòd omnipotentiam immediatam reſpectu cuiuslibet in aliquo eodē eſſe includeret contradictionē, quia deſtrueret ordinem eſſentialem cauſarum. Verum eſt ergo, quòd ſuprema potentia actiua, ſiuè potentia infinita eſt omnipotentia: ſed non eſt notum per rationem naturalē, quòd ſuprema potentia poſſibibilis etiam intenſiuè infinita ſit omnipotentia propriè dicta, quæ ſcilicet poteſt in quodcunquè poſſibile immediatè.*

Hoc eodem pacto reſpōdent, ſed breuiùs, ad iſtud idem argumentum ſecundò

prin-

principaliter propositum in primo dist.42.inquiens: *Ad secundum dico; quòd infinita potentia Dei, & si possit concludi de Deo naturali ratione, non tamen omnipotentia secũdum quod propriè sumitur. Et cùm dicis, quòd infinita potentia nulla potest maior cogitari: verum est intensiuè; tamen nõ videtur contradictio, quòd sit, vel cogitetur maior potentia ad plura se extendens. Vel dicetur, quòd & si non sit contradictio, omnipotentiam cogitari, quæ vt sic aliquo modo excedat infinitam potentiam non intellectam, vt omnipotentia; non tamen est naturaliter notum, potentiam sic intellectam esse omnipotentiam.*

In quibus testimonijs illud pręsertim aduertite quęso, quòd infinita potentia de mente Philosophorum, sicut Scotus exponit, excogitari maior (ille tamen conceptus implicaret de mente Aristotelis propter essẽtialem ordinem causarum) & licèt non intensiuè, benè verò extensiuè; quia per immediatã extensionem ad plura videlicet. Omnipotentia igitur, quam in primo efficiẽte admisère Philosophi, non includebat non immediatam extensionem ad omnia; idest non poterat immediatè immediatione virtutis cunctos effectus attingere, aliter corruisset essentialis ordo causarum: ergo philosophica omnipotentia nõ est alia, nisi illa, quæ mediam causã includit, & immediationem virtutis simul excludit.

Sed inquies, vndè colligis tu philosophicam omnipotentiã in eo excedi à theologica, vt hęc in tẽporales; illa verò nullatenùs eosdẽ effectus immediatè immediatione virtutis influere possit, & valeat? Nonnè potiùs talis excessus penes illud tantùm

tùm possèt attendi, vt dicamus philosophicam simpliciter necessariò, minimè verò theologicam omnipotẽtiam vlteriùs agentis amplecti cõsortium.

Ad hoc respondemus, sicut plurìes suprà respondimus, & fusè probauimus nõ magìs implicare, quòd causa infinita virtutem inuoluens, & simul ineuitabiliter operans possit se sola, quàm cũ altera coagẽte causa immediatè immediatione virtutis sublunares effectus attingere; non est igitur cur nunc in dubiũ adducatur, philosophicam omnipotentiam illã esse dumtaxat, quæ respectu temporalis effectus penitùs abijcit immediationem virtutis, & attingentiæ: & in hoc propriè de mente Philosophorum omnipotentiæ theologicæ supra philosophicam consisteret excessus. Quod indè possèt suaderi vlteriùs, nam de mente Philosophorum, vt subtilissimè demonstrat Scotus in 7. q. Quodl. sub lit. Ff. sub Gg. & deinceps omnipotentia philosophica ad multa extenditur immediatè vtraq; immediatione: extenditur enim vt sic ad entia sempiterna, igitur opposito modo comparari debet ad temporales effectus; igitur duplici correspondenti mediatione cõparatur ad istos.

Illud autem de concursu nullius ponderis est; nam vox & significatio cõcursus tantam patiuntur latitudinem, vt cõmuniter ad omne id, à quo futurus effectus aliqua ratione dependet semper extendi consueuerit: & proptereà si sit aliquid, quod vel in ratione formalis principij, vel necessariæ conditionis, vel causæ sine qua non, vel sub quauis alia imaginabili ratione immediatè,

vel mediatè exigita ad effectus productionem attineat, illud tale ad eiusdem effectus positionem concurrere consultò dicetur. Et hinc est, quòd etiam causa moraliter influens, sicut est consilians atquè suadens; quantùmuis realiter & efficienter non attingat effectum phisicè ponendum in esse ab eo, in quem suasio dirigitur, adhuc rationabiliter concurrere dicetur ad eundem effectum: cùm ergo de mente Philosophorum entia sempiterna ità pendeant à causa suprema, vt esse, & operandi virtutem, & vtriusq; conseruationẽ ab ipsa recipiant, & ab entibus sẽpiternis ordinatè postmodùm sublunares causæ similiter existentiam, & producendi facultatem accipiant, & sic deinceps vsq; ad vltimam causã; cur igitur primo efficienti, quod est omnium entium fons & origo respectu temporalium effectuum mediati concursus nomen, & rem denegabimus? Quatùmuis igitur explicitè Scotus de mente Philosophorum assereret primariam causam ad sublunares effectus concurrere; interpretandus est de mediato & remoto, non autem de proximo & simultaneo concursu, sicut etiam exponendum est illud, quod in 4. dist. 48. q. 1. sub lit C. intendens probare contra D. Thomam posse dari visionem essentię Diuinæ sine vlla delectatione sequente de necessario primi efficientis coagere causis secundis ad aures Philosophorũ Scotus asserit, inquiens: *Nec istud negaret Philosophus, nisi quia poneret coniunctionem causarum in vniuerso simpliciter necessariam; ità quòd secundum eum simpliciter necessariũ est causæ primæ coagere secun-*

ſecundis, *ſecundũ quod poteſt eis coagere*. Ex quibus verbis ſi ponderetur etiã illa modificatio, *ſecundũ quod poteſt eis coagere*, euidenter colligitur prędicta expoſitio: nam nè quis apprehendiſſet ex ſuperioribus verbis ſe loqui de immediata & ſimultanea, ſed de mediata & remota dumtaxat primi efficientis coefficientia cum cauſis ſecundis quaſi corrigens ſeipſum, ſtatim ſubnectit modificantẽ & diſtrahẽtem illam dictionem, *Secundum quod poteſt eis coagere*; vt indè quilibet inferret apertè, quòd ipſe fuerit abuſus eo coefficientię nomine.

Per hoc etiam reſpondetur ad aliud, in quo fit ponderatio illius dictionis, *Cum*, quæ ſimultatem Diuini cõcurſus cum cauſa ſecunda deſignare videtur. Immò in eodem etiam teſtimonio & millies in 7.q. inquit Scotus, primum efficiens producere temporales effectus media cauſa ſecunda; & tamen huiuſmodi ratio mediationis euidenter econtrà videtur excludere concurſus ſimultatem, ex prædicta dictione prætenſam.

PROPOSIT. IX.

Explicantur alia teſtimonia in eadem Propoſitione 4. relata.

ILlud verò teſtimonium de animę rationalis inceptione, licèt breuiter & facili negotio poſſet abſolui, vt in fine ſolutio videbitur; nihilominùs tamen ad vberiorẽ veritatis euidentiã hæc, quæ ſubſequuntur, præmittenda putauimus. Notandum eſt igitur, quòd anima rationalis etiam de mente Philoſophi non poteſt produci, niſi immediatè à Deo, ſicut teſta

tur Scotus pluribus in locis suprà citatis: sed ea lege virtualiter continetur in Deo, vt nunquàm illam producere valeat, nisi facta priùs à causis inferioribus organizatione corporis; quemadmodùm nõ obscurè colligitur ex Scoto in 7. q. Quodl. sub lit. R. & in 4.dist.43. q. 2. sub lit. N. sed conceptis verbis asserit hoc in vltim. q. Quodl. sub lit. R. vbi sic ait: *Ità secundũ Aristotelẽ hoc corpore organizato, Deus necessitate immutabilitatis causat hanc animam, priùs non; quia materia non erat disposita.*

Cęterùm quia corpus organicum de nouo ponitur in esse, hinc fit, vt etiam anima rationalis, quæ in gratiã organici corporis producitur nouiter etiam in esse ponatur à Deo: ità tamen vt nouitas illius nulla ratione refundatur in Deum; sicut inquit Scotus, præsertim in præcitatis locis vlt. quæst. Quodl. sub lit. Q. & quæst. 2. dist. 43. 4. sub lit. N. vbi proposito dubio quomodò agens omninò immutabile possit producere nouum effectum, inquit: *Respondeo nullo modo, nisi propter nouitatem passi receptiui; quòd enim effectus totaliter & præcisè dependens à causa actiua, esset nouus, reduceretur secundum Aristotelem in aliquam variationem ipsius causæ efficientis. Sed quòd effectus ab agente & passo receptiuo sit nouus, potest reduci in nouitatem ipsius passi, siue nouitate agentis: & it diceretur hic, quòd Deus necessitate naturali transmutat corpus organicum ad animationem, quã citò corpus est susceptiuum istius animationis; & à causis naturalibus fit aliquando de nouo istud susceptiuum, & tunc noua est mutatio ad animationem ab ipso*

Deo. Rationalis igitur anima si spectetur, quatenùs virtualiter continetur dumtaxat in Deo necessariò producente, debuisset ab æterno produci;& de facto Deus produxisset illam vt sic velut ab ęterno produxisset intelligentias, nisi produceretur ex occasione nouæ productionis corporis organici. Quo fit vt per comparationẽ ad Deum necessariò producentem, & se solo virtualiter continentem intellectricem animam, omninò accidat eidem animę, quòd nouiter producatur à Deo: & hinc sequitur vlteriùs rationalis animę productionem non posse rigorosè, sed per accidens tantùm connumerari inter temporales & nouos effectus,quod euidenter probatur ex eo;quia si fuisset ab æterno productum in esse corpus organicum (quod tamen implicaret de mente Philosophi, cùm sit effectus contingenter producibilis,& per consequens non nisi à causa secunda in tempore) tunc etiam rationalis anima adęquatè,& virtualiter contenta in Deo necessariò producente fuisset ab æterno creata.

At verò ipsa corporis organizatio exẽpli gratia, tùm per hoc quod est effectus cõtingenter producibilis; tùm quia virtualiter continetur in causa secunda dumtaxat,quæ nõ potest nisi nouiter agere, nulla ratione posset igitur ab æterno produci. Et hinc fit, vt latum intercedat dissidium inter nouam productionem animæ, & nouam productionem organici corporis: nam organici corporis nouitas, cùm omninò contingenter ponatur in esse, tùm quia in tempore, tùm quia à causis impedibilibus, etiam post in-

tegrè

tegrè positã in esse præparationem, dispositionemquè materiæ, aliter non posset saluari de mente Philosophorum illa contingentia, quam ipsi admittunt in sublunaribus; & quam deridet Scotus in 2.dist. 1. q. 3. sub lit.E. dum inquit: *Ad illud, quod additur de Philosophis, potest dici quòd multas contradictiones latentes concesserunt; sicut negauerunt communiter esse aliquod primum contingenter causans: sed dixerunt primam causam esse necessariò causantem, & tamen dixerunt contingentiam esse in entibus & aliqua contingit fieri; sed contradictionem includit aliquid contingenter fieri in entibus, & primam causam necessariò causare, sicut deductum est dist.8.primi, & dist. 2.& 39 eiusdem, & aliquantulùm in quæst. præcedente.* Nouitas (inquam) organici corporis est nouitas simpliciter, quãdò quidem omnem necessitatem & immutabilitatis, ac ineuitabilitatis excludit: At verò productæ rationalis animæ nouitas, est nouitas tantùm secundum quid; quia licèt excludat necessitatem immutabilitatis, cùm non verè immutabiliter producatur à Deo, ex eo quòd eius productio occasionaliter pendet ab organici corporis productione, quę per hoc quod ponitur in esse à causis secũdis omninò impedibilibus, mutabiliter ergo ab illis efficitur: nullatenùs tamẽ ineuitabilitatis necessitatem excludit, facta namq; & completa corporis organizatione ineuitabiliter Deus tunc animam rationalem inducit in illud, & hoc ideò ineuitabiliter; quia cùm sit causa suprema, & per cõsequens non impedibilis in impendibiliter, ergo (vt ità dicam) producit illã in corpus

pus organicum. Intelligentiarum autem productio, cũ ex nullius receptiui ad vtrũlibet possibilis occasione ponatur in esse, sicut hinc ab æterno fieri debuit; ità similiter vtraq; ineuitabilitatis, & immutabilitatis necessitatem inuoluit.

Hæc doctrina plusquàm euidenter colligitur ex Scoto in 7. q. Quodl. sub lit. R. vbi decernit: *Quòd non est de intentione Aristotelis, quòd Deus absolutè necessariò causet quidquid immediatè causat, hoc est sine causa media agente, sicut dicetur inferiùs de anima intellectiua in q. de bona fortuna; sed secundum ipsum Deus necessariò agit quidquid potest agere immediatè, hoc est sine omni medio, siuè agente ad ipsum, siuè ad aliquod præuiũ disponens ad illud: & sine omni medio causato siuè præuio ad illud; illud ergo quòd sine omni medio causato præuio siuè causante præuio potest agere, hoc necessariò agit. Et ratio huius est apud eum, quia ex quo istud à solo Deo immediatè omninò dependet ipsius nouitas in essendo, siuè contingẽtia non reduceretur secundum ipsum vltimatè, nisi in aliquã nouitatem in Deo: Et sic intẽdit ipse arguere 8. Phis. quia illa nouitas motus in vniuersali siuè omninò primi motus, siuè etiam omninò primi causati quodcunq; illud esset, esset immediatè à Deo sine omni causa media agente vel disponente, & sine omni causato medio. De illo autem, quod potest Deus immediatè causare sine scilicèt causa media agente, attingente illud non diceret Aristoteles, quòd Deus necessariò simpliciter illud causaret; sed tantùmmodò necessitate ineuitabilitatis, & hoc posito illo primo, vel præuio quod requiritur.* Quid clarius?

Ex his prælibatis patet iã quid

quid breuiter respõdere debeamus: nam quantùmuis concedamus animam rationalem à primo efficiente de nouo produci; indè tamen sequitur, quòd concurrente secum causa secunda possit alios effectus cum nouitate producere, cuius ratio est: quòd Deus nõ continet virtualiter proximè temporales effectus, sicut continet intellectricem animam; quantũuis igitur hanc, minimè tamen potest illos quomodolibet de nouo producere.

Per idem patet ad vltimũ de fortuitis, quæ probabiliter penes Scoti sententiam possunt de mente Philosophorum reuocari ad immediatum primi efficientis influxum: non enim aliud colligit Scotus, quòd causa suprema se sola fortuitos effectus de nouo producere valeat, quam ex nouitate receptiui dispositi, vt ibidem sub lit. P.&Q. & præsertim sub lit. R. cõcludit, & inquit: *Ità secundum Aristotelem hoc corpore organizato, Deus necessitate immutabilitatis causat hanc animam, & priùs non; quia materia non erat disposita: sicut nec Sol causat alium & alium radium in aere, & in aqua, nisi propter diuersitatem recipientium. Sic in proposito Deus influit vniformiter in quodlibet in quantum potest secũdum Aristotelem, & quia iste est dispositus, ille non; ideò Deus impellit istum ad tale propositum, ad quod consequitur commodum: illum autem non impellit, quia non inuenit in eo dispositionem illam, quã diximus priùs.* En igitur quã apertè fateatur Scotus, productionem fortuiti humani propositi similem esse rationalis animæ productioni; ità vt quemadmodùm Deus ex occasione noui corporis organici se solo intellectricem

ani-

animam inducit in illud: sic etiam ex occasione nouæ istius, vel illius hominis dispositionis prçcedentis statim se solo ad tale, vel tale propositum nouiter impellat vtrumquè; quo fit, vt sicut ad sui nouam animationẽ corpus organicum, itá similiter homo ad huiusmodi sui nouum impulsum merè passiuè concurrat: & sicut nouitas animationis adæquatè in corpus organicum, itá correspondẽter nouitas impulsus Diuini totaliter in sic dispositũ refunditur hominem;& sicut tandem ad vniformitatem: sic etiam econtrà, vt in citatis locis asserit Scotus ad recipientium causarum diuersitatem, vel vniformes, vel diuersos Deus de nouo producit effectus; illos tantùm videlicet, qui solùm virtualiter continentur in ipso, de quorum numero sunt animatio corporis, & hominis impulsio ad fortunatum effectum.

PROPOSIT. X.

Ex prædictis nonnulla corolaria deducuntur.

EX doctrina, quam de mẽte Philosophorum de concursu primi efficiẽtis superiùs ex Scoto retulimus, manifestè colligitur primò nostrum Tataretum nó habuisse germanam Scoti sententiam in eo, quod dixi ipsum problematicè sustinuisse Durandi opinionem:nam cùm abundè satis ostenderimus suprà Scotum in hoc incessisse semita lõgè diuersa ab ea, qua Durandus incessit, dùm ille Philosophorum mentem dumtaxat, iste verò theologicam veritatem inspexit; qua igitur ratione problematicus ille dicetur, qui circa idem,& sub eadem

ratione affirmantem & negantem partem indifferẽter non sustinet, cùm & Topicis problema sit affirmatio, & negatio de eodem subiecto, & sub eadem formali ratione spectato? Quo sensu Scotus sustinet in 2. dist. 1. q. 3. Mundum potuisse & nõ potuisse ab ęterno produci: quo fit, vt si theologicè & non philosophicè sustinuisset Scotus Durandi sententiam, verè tunc problematicus fuisset in ea. Cæterùm quia philosophicè tantùm opinionẽ Durandi defendit, & ex alio capite theologicè respuit illam; non est igitur cur dicatur à Tatareto Scotum nostrum problematicè & indifferenter adhæsisse Durando.

Colligitur secundò, nè remotè quidem olfecisse Philosophi mentem illos, qui putant ipsum voluisse, quòd causa suprema immediatè immediatione virtutis primum impellat, moueatquè Cœlum. Et egregiè decipiuntur vlteriùs, qui contendunt ex naturalibus euidenter posse demonstrari contra Philosophos primam causam immediatè immediatione virtutis, & attingentiæ in omnium entium productionem influere. Qua ratione quæso, Philosophos conuincere prætendunt in hoc? ea forsan, quam ex conseruatione pręsertim Franciscus de Mayronis in primo dist. 43. q. 7. & in primo tõ. Metaphysicæ disput. 22. sect. 1. num. 8. desumit, magnificatquè Suarez: illam sanè deriderent Philosophi, dicerentq; primum efficiens ea ratione conseruare sublunares effectus, qua vt in fieri pendent ab ipso: sed mediatè tantùm per vtriusq; mediationis inclusionem depẽdent vt sic ab agente supremo; ergo etiam vt sic conserua-

ſeruabuntur ab eo.

Sed inſtat contra Suarez, igitur interdùm nulla ratione, nè mediatè quidem, tẽporalis effectus in conſeruari pendebit à Deo: nam ſi calor ab igne productus à Deo ſolùm pendet mediante igne producente; igitur ceſſante ignis actione, iam nullo modo pendebit ab eo.

Ad hanc inſtantiam reſpondemus; ſed non eo pacto quo reſpondet ipſe de mente Durandi, quòd effectus cauſæ ſecundæ quandiù fit, vel conſeruatur ab ea, tãdiù mediatè tantùm fit, & conſeruatur à Deo: ceſſante verò actione cauſæ ſecundæ, tunc ſolus Deus immediatè conſeruat effectum, quantùmuis à ſola cauſa ſecunda fuerit immediatè productus; nõ ità (inquam) hanc explodemus inſtantiam, quoniam optimè reſpõſionem infringunt rationes, quas contra ſubiungit ibidem: ſed reſpõdebimus eo facili negotio, ſicut ad illam reſponderent Philoſophi dicentes, quòd in vniuersũ omnes effectus producti, vel ſunt æterni, vel temporales. Aeterni à ſolo Deo conſeruantur, ſicut à ſolo Deo producuntur in eſſe: temporales verò, ſi ſint immateriales, quales ſunt animæ intellectiuæ; immediatè producuntur, & conſeruãtur à Deo. Sed ſi ſint materiales, vel ſubſtantiales, vel accidentales: ſubſtantiales effectus quantùm ad partem materiales immediatè conſeruantur à Deo, ſicut à ſolo Deo producta eſt materia prima; quantùm autem ad partem formalem immediatè conſeruantur à ſola materia prima ceſſante actione producentis principij: prima namq; materia fouet, conſeruatquè formas, quas habet, & id ipſum correſpon-

denter dicatur de formis accidentalibus & subiectis earum; formæ siquidem accidentales, cessante causalitate producentis principij, totaliter tunc à proprijs subiectis conseruantur in esse: quòd etiam in spiritualibus accidentalibus locum habebit; materialia verò subiecta, quo ad vtramq; partem conseruantur vt suprà.

Patet igitur, quòd calor productus ab igne, cessante ignis actione, totaliter conseruaretur à recipiẽte subiecto; quod quia saltem quantũ ad materialem partẽ immediatè conseruatur a Deo, vt dictum est; euidenter sequitur, quòd receptus calor in illo mediatè tantùm conseruetur à Deo. En igitur quàm facili negotio prædictam instantiã exploderent, deriderentquè Philosophi. Meliùs igitur Scotus inquit, & subtilissimè probat, præcipuè in 7. q. Quodl. quòd nec demonstratione propter quid, nec demonstratione quia, potest homo viator ex puris naturalibus theologicam demonstrare potentiã.

Sed dicet quis Scotũ non sibi satis constare, quoniam in eadem 7. q. Quodl. sub lit. L. inquit: *Circa hoc Philosophi videntur sentire non solũ, quòd nõ sit demonstrabile Deũ esse omnipotentem immediatè; sed etiam quòd hoc sit impossibile*. Et tamen his non obstantibus in primo dist. 42. quæst. vnic. sub lit. C. dicit, quòd *Omnipotentia tamen hoc modo sumpta, licèt non sufficienter demonstretur: probabiliter tamen potest probari sicut verum & necessarium, et probabilius quàm quædam alia credita; quia non est inconueniens quædam credita esse euidentia, quàm alia*. Qua ratione quæso, possunt hæc sibi inuicẽ cohærere, quòd Philoso-

losophi videlicet omninò impossibilẽ putauerint omnipotentiam theologicam; & quòd ex alio capite probabiliter ostendi posse censuerint? Illud enim, quod est omninò impossibile, est etiam omninò falsum; & per consequens omnem putabilitatis vmbram excludit.

Ad hoc facilis est responsio, quia cùm Scotus ex diuersa ratione neget primũ, concedatq; secundum, non sequitur ergo, quòd sibi cõtradicat; primum namquè inficiatur supposito Philosophorum fundamento de primæ causę necessitate, & omnimoda perfectione in operando, vt ipsemet in iam præcitato loco subiungit, dicens: *Et videtur fundamentum eorum in ista propositione stare. Principium necessarium & omninò perfectum ad nihil immediatè contingenter se habet.* Asserit verò secundum iuxta veram Philosophiam, & etiam ad hominem cõtra Philosophos: vera enim Philosophia docet Deum non necessariò, sed contingenter efficere quidquid ad extrà producit. Ad hominem etiam, quia Philosophus primo Periherm. cap. vlt. sustinet contingentem futurorũ euentum, vt Scotus in primo dist. 39. sub lit. C. §. *Quãtum ad primum &c.* adducẽs ipsum in testem, sic ait: *Vndè Philosophus arguens contra necessitatem futurorum nõ deducit ad aliquid impossibilius hypothesi; sed ad aliquid impossibile nobis manifestius, scilicet quòd non oportet nec consiliari, nec negotiari.* Et vt confirmet hoc ipsum, immediatè ex Auicenna hæc verba facetè subiungit: *Et ideò negantes talia manifesta indigent pœna, vel sensu; quia Auicen. primo Metaph. c. vlt. negantes primum principium*

sunt

sunt verberandi, vel exponendi igni, quousquè concedant, quòd non est idem comburi, & non comburi; vel vapulare, vel non vapulare: & ità etiã isti, qui negant aliquod ens cõtingens exponendi sunt tormentis, quovsquè concedant, quòd possibile est eos non torqueri.

Sed in hoc manifestè sibi contradixère Philosophi, vt inquit Scotus in 2. distinc. 1. quęst. 3. sub lit. E. *Quòd multas contradictiones latentes cõcesserunt, sicut negauerunt cõmuniter esse aliquod primum principium contingenter causans; sed dixerunt primam causam esse necessariò causantem, & tamen dixerunt contingentiam esse in entibus, & aliqua contingenter fieri: sed contradictionẽ includit aliquid contingenter fieri in entibus, & primam causam necessariò causare.* Et ratio est, vt inquit Scotus in primo dist. 8. quæst. 5. sub lit. R. vbi ex intento arguens contra Philosophos hanc rationem secũdò principaliter vrget: *Secundò arguo sic. Aliquid fit contingenter in entibus, ergo prima causa contingenter causat: Antecedens concedunt Philosophi, consequentiam probo sic. Si prima causa necessariò se habet ad causam proximam, sit illa A, B. igitur necessariò mouetur à prima causa: B. autem eodem modo, quo mouetur à prima causa, mouet proximam sibi; igitur B. necessariò causat mouendo C. & C. mouendo D. & sic in omnibus causis procedendo nihil contingenter erit, si prima causa necessariò causat. Ista ratio pertractata est dist. 2. quæst. 1. de infinitate Dei, probando Deum esse formaliter infinitum; & ideò non oportet hic ampliùs immorari.* Et in eodem primo dist. 39. sub lit. B. § *Contra istam &c.* Secundum veritatem igitur,

& de

& de mente Philosophorum admissa in primo efficiente ea contingentia in operãdo, quam ex concessis ab ipsis non sine contradictione denegant illi, & contra quam non habent solidum fundamentum; quia vt dicit Scotus in 4.dist.48. q.2. sub lit. B. *Nullus Philosophus ponit necessitatem agendi extrà competere substãtijs separatis, quasi illa producta perficerent aliquo modo ipsas substãtias producentes; sed quia ex plenitudine perfectionis illarum substantiarum est, quòd necessariò se diffundat ad alias*. Igitur ex plenitudine perfectionis in operando colligunt ipsi necessitatem operandi, sed vel perfectionis plenitudo includit necessitatem operãdi, & tunc petunt principiũ; vel illam excludit, & tunc non probant euidenter intẽtum. Admissa (inquam) in primo efficiente contingentia in operando, optimè posset indè probabiliter defendi, Deum immediatè immediatione virtutis in omnes effectus influere. Sed posita in primo efficiẽte omnimoda perfectione, & necessitate in operando, nè probabiliter quidem poterit tunc sustineri, Deum esse theologicè omnipotentem.

Sed hìc duo possent in dubium reuocari. Primum est; an saltẽ separatus intellectus ex naturalibus suis theologicam Dei omnipotentiam euidenter ostendere valeat? Cæterùm quia hæc proposita dubia prolixam discussionem & examen exigerent, & ad institutum propriè non pertinent; ideò breuiter dissoluemus vtrumquè.

Ad primum respondemus affirmatiuè, & ratio est; quia separatus intellectus ex naturalibus suis distinctè cognoscit essentiam causæ secun-

cundæ, ergo vt sic cognoscit primam eius operandi virtutem; ergo vt sic cognoscit, quanta sit in ipsa, & hinc quanta in ordine ad effectũ, ergo vt sic cognoscit illius defectum & diminutionem in operando, ergo vt sic cognoscit eam Diuini concursus exigentiam, quam simpliciter necessariò ad producendum effectũ inuoluit; ergo vt sic cognoscit Deũ immediatè immediatione virtutis omnes effectus attingere, ergo vt sic tandẽ agnoscit theologicam omnipotẽtiam Dei. Omnia patent.

Ad secundũ verò respondemus negatiuè (semper tamen saluo meliori iudicio) & ratio est, quia omnes auctoritates ex sacra Scriptura desumptę, in quibus insinuatur Diuinus influxus in productionem omnium entium; sicut præcipuè sunt illæ Genesis primo: *In principio creauit Deus Cœlũ & terram.* Ioannis primo: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Ioann. 7. *Pater meus vsq; modò operatur &c.* Apocalyps. 4. *Tu enim creasti omnia, & propter voluntatem tuam, & erant, & creata sunt &c.* Et cętera in genus ità proteruè possẽt exponi de mediato concursu, vt proteruus non posset necessariò & euidenter ex illis conuinci.

Nec id necessariò demonstrat Babylonicus ignis, nam diceret Aduersarius; nõ ideò ignem illum non combussisse pueros, quia miraculosè propriũ substraxerit Deus, & negauerit igni concursũ: sed ex eo, quòd pueros illos impassibiles reddidit ijs impassibilitatũ generibus, quibus in 4. sentent. in materia de dotibus, corpora gloriosa impassibilia reddi concludunt omnes Theologi; vno excep-

excepto Scoto nostro, qui in eodem 4. dist.49.quæst. 13. sub lit.D. sic inquit: *Dico ergo, quòd causa impassibilitatis est voluntas Diuina, non coagens causæ secũdæ corruptiuæ, & per hoc est istud impassibile non potentia remota, sed propinqua; non à causa intrinseca, sed extrinseca impediẽte, sicut dictum est de impeccabilitate suprà dist. ista, quæst. de securitate. Exemplum huius de igne in camino, qui non egit ad consumptionem trium puerorum; non quidem per aliquam impassibilitatem intrinsecam pueris, nec ex carentia potentiæ passiuæ, nec ex contrario intrinseco impediente: sed quia Deus ex voluntate sua non cooperabatur ad illam actionem*. Si diceret igitur Aduersarius corpus nostrũ non esse negatione concursus causæ supremæ, non coagentis corruptiuæ causę secundæ, vt asserit Scotus: sed omninò impassibile reddi ex ijs capitibus, quæ Doctor hìc ad mentem aliorum epilogando recenset, & fusè superiùs impugnat; & obijcit; vndè tunc ex Babylonico igne ad confessionem immediati Diuini concursus cum causa secunda posset euidenter conuinci proteruus.

PROPOSIT. XI.

Ostenditur Scotum insinuasse secundum explicandi modum.

EVulsimus (nisi nostra nos fallat opinio) ex Scoticæ doctrinæ purissimo grano infœlix Durandi sententiæ loliũ, & abundè satis ostẽdimus subtilissimũ Doctorem Scotum non simpliciter & absolutè: sed probabiliter & de mente Philosophorum, dumtaxat sustinuis-

se primum explicandi modum, quo causa secunda à primo efficiente in operando depēdet. Nunc igitur operę pretium est, vt videamus, an insinuauerit, vel amplexus fuerit etiam secundum modum explicandi eiusdem causæ secundę subordinationem eandē: quæ vt in prima Propositione diximus in eo consistit, & aliud superaddit priori, vt supposita operandi virtute, quam accepit à Deo, vt in qua conseruatur ab ipso simpliciter necessariò agens inferiùs exigat insuper in actionibus suis simultaneum agentis supremi concursum; ea tamen lege sibi præstandum, vt nunquàm determinatus, sed semper indifferens offeratur, tribuaturq; causę secundæ: quæ postmodùm ex vi sui particularis influxus indifferentem influentiam Dei determinare, & modificare possit, ac debeat.

Ad quam difficultatem respondēdum videtur, quòd sic: nam Scotus in primo dist. 3. quęst. 7. sub lit. B b. volēs declarare quo sēsu determinetur intellectus creati facultas, qua indifferenter, & indeterminatè respicit actus & obiecta diuersa, in secunda responsione hæc habet formalia verba. *Vel aliter posset dici, quòd sicut causa superior determinatur ad agendum concurrente aliqua particulari causa inferiori, sicut Sol ad generandum hominem concurrente homine agente, & bouem concurrente boue; non autem per aliquam formam ità intellectus, qui est causa superior & causa illimitata, determinatur ad hoc obiectum concurrente causa particulari determinata, puta ad agendum circa hoc obiectum concurrente hac specie.* In quibus verbis illud expendas, si placet,

quòd

quòd vt probet Scotus indifferentem operandi virtutem intellectus creati determinari ad huius notitiæ productionem à specie determinatissimè concurrente, sumit quasi paritatem à causa superiori, vt sic; ità videlicet quòd sicut causa superior, quatenùs talis determinatur ad agendum à concurrente particulari causa inferiori, sic etiam intellectiua potentia, cùm sic causa superior, & illimitata determinatur ad hoc obiectum ex huius speciei particulari concursu. Vndè colligitur euidenter, quòd omnis causa, quę quatenùs illimitata & superior, indifferentem & indeterminatā habet operādi virtutem; eget ad particularis effectus productionem inferiori determinatissima causa, superioris indifferentiam determinare, quæ debeat: igitur etiam vniuersalissimus supremi efficientis influxus similem determinationem patietur à causis secundis. Nec aliquid officit, quòd Scotus inquiat ibidem, speciem nec effectiuè, nec formaliter vt rationem agendi determinare indifferentem influxum intellectrices potentiæ; nam sufficit, quòd sic determinet eam vt nunquàm nisi per inferiorem, & deteminatam concurrentis speciei virtutem prorūpere possit in determinatum effectum: quòd posteà sic, vel sic determinet eam, nil obstat intento; sic etiam parùm curabimus, quo modo determinet ipsā; si constabit nobis ex Scoto, & ex præcedenti discursu supremam causam nunquàm exire in actum, nisi vt determinatam ab agente creato.

Sed inquies nullum posse deduci solidum argumentū ex testimonio prædicto, quia quantùmuis aliquæ superio-

res causæ creatæ exigant determinari à determinatis agentibus; ficut eft Sol,intellectus,& cætera huius generis: hinc tamen non licet inferrre, ergo etiam causa suprema determinari debebit ab agente creato,quãdo quidem illimitatio virtutis in quauis causa secunda non absoluitur ab omni imperfectione, sicut absoluitur illimitatio virtutis in agente supremo; creatum siquidem agens quantùmuis illimitatã habeat facultatem operandi, nunquàm tamen potest se solo sine actiui, vel passiui conprincipij determinato cõ cursu in particularem effectũ influere; quemadmodũ posset econtrà causa suprema, vt patet:licet igitur illud,minimè tamen indiget ista determinari ad operandum à subdita causa.

Hæc instãtia facilè soluitur ex eo,quòd licèt ex natura rei primum efficiens non egeat determinari ab agente inferiori, sicut indiget superior causa creata;aliter Deus posset se solo,nè per creationẽ quidẽ producere tũc particularem effectum: nihilominùs indiget ità determinari,quia sic ipse decreuit; vt in differẽntem videlicet causis secundis,& maximè liberis suum semper præberet influxum.

Quod non obscurè colligitur ex Scoto in secũdo dist. 37. sub lit. T.vbi intendens declarare quomodò Deus non sit auctor moralis malitię peccati, sic inquit: *Quòd quando duæ causæ partiales concurrunt ad effectum communẽ ambarum, potest esse defectus in productione effectus ex defectu vnius causæ cõcurrentis præcisè, & non alterius. Exemplum, ad velle secũdum opinionem tertiã dist. 25. huius concurrit intellectus & volun-*

luntas libera, potest igitur esse defectus in actu isto ex defectu voluntatis; licet non præcedat defectus in cognitione. Ità igitur si ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, scilicet voluntas creata & Diuina, potest esse defectus in ipso velle ex defectu alterius causæ; & hoc quia ista causa posset rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat: alia autem licèt non teneatur eam dare, tamen quãtùm est ex se, daret; si voluntas creata cooperaretur. Vniuersaliter enim quidquid Deus dat antecedenter, daret illud consequenter quantùm ex se, nisi esset impedimentum. Et paucis interiectis concludit. *Est igitur defectus in effectu duarum causarum nõ propter defectum causæ superioris, sed inferioris: non quia causa superior causet rectitudinem in effectu, & inferior obliquitatem, sed quia causa superior, quantùm est de se causaret, si causa inferior secundum suam causalitatem causaret; & ideò rectitudinem non causari, & propter hoc quia causa secunda, quantùm ad se pertinet, non causat.* Ex quibus vltimis verbis liquidò patet Deum Opt. Max. sic indifferenter exhibere concursum voluntati creatæ propter rectitudinem actus eliciẽdi; vt si creata voluntas decreuerit in illam influere, in eandem etiã confluet Diuina voluntas: quo fit, vt quemadmodùm patet ex textus intuitu, ista causalis causa superior ideò operatur; quia inferior operatur; vera sit, & opposita falsa de mẽte Doctoris. Expectat igitur Diuina voluntas creatæ voluntatis decretum de influendo in rectitudinem actus; & sic illud expectat, quòd licèt quantùm est ex se, semper sit ad influendum parata: nunqumà

tamen prorumpit in actum voluntate creata non prorumpente priùs in illum, & hoc est formaliter agendi creato indifferentem exhibere concursum; nam ex illa Diuinæ voluntatis pręparatione ad influendum in actum cum proposito de núquàm actualiter influendo, nisi influat in illum creata voluntas, debet dumtaxat attendi indifferens exhibitio Diuini concursus, vt patet.

Poterit hoc confirmari ex 3.dist.17.quæst.vnic.sub lit. E. vbi Scotus sustinens, quòd immediatus Diuinus influxus in volitionem creatæ voluntatis propriam eius libertatem non aufert, sic asserit ibi: *Tunc dico, quòd voluntas in Christo ità liberè elicit, & dominatur actui suo, sicut voluntas mea suo; quia Deus non operatur ad operationem illam nisi voluntate liberè agente & determinate se ad operandum, & tūc Deus operatur cum ea*. In quibus verbis etiam apertè fatetur tūc, & non priùs cooperari Deū voluntati creatæ; quòd eadem voluntas ad operādum determinabit, mouebitquè seipsam.

Vltimò confirmabit hoc idem illud, quòd Scotus ad probandum charitatem immediatè subiectari in voluntate creata, assumit in 2.dist. 26.quæst.vnic. sub litera A. *Prætereà secundò: Quando aliqua forma est indeterminata secundum virtutem actiuam ad plura, illud quod præcisè respicit vnam actionem determinatam, non perficit eam in quantùm est indeterminata; sed in quantùm est potentia determinata respectu illius actionis. Exemplum, si anima est indeterminata ad plures actus conuenientes sibi secundū plures potentias, sapientia vel quicunq; habitus intellectualis*

non

non perficit animam in quantùm indeterminata; sed præcisè in quantùm intellectus. ***Et*** *ratio propositionis est ista, quia si perficeret eam in quantùm indeterminata secundum virtutem actiuam; ergo æquè posset eam perficere in ordine ad quemcunq; actũ suum &c.* Ex hac ratione, in qua Scotus admittit essentiã animæ rationalis habere indifferentẽ, & indeterminatám operandi virtutem; determinatam tamen ad particulares effectus per determinatos specialesq; potentiarum eius influxus, colligitur euidenter cuiuslibet superioris causæ concursum sic esse indeterminatũ, & indifferentem, vt per inferioris agentis particularem influxũ ad indiuiduas actiones contrahi prorsùs exposcat: non enim ex alio capite (vt patet) nisi ex superioritate, quam ad potentias habet, potuisset deducere Scotus essentiam animæ rationalis actiuitatem indifferentem inuoluere.

Concedit etiam Scotus in præcitato loco sub litera C. quòd potẽtia rationalis animæ sint intrinseca ipsius instrumenta, & hinc cõcludit: *Quòd illo modo accipiendo instrumentum, forma determinans actionem debet poni in instrumento, non autem in principali agẽte, vt distinguitur ab instrumẽto; nec debet poni, nisi forma recipiens actionem.* Ex quibus verbis patet, quòd per hoc voluntas humana, quatenùs intrinsecum rationalis animæ instrumentum, formã determinantẽ, actionem immediatè recipere debet, charitatis habitum videlicet; potentiæ igitur, quæ determinãtes recipiunt formas, contrahunt, atq; determinant principalis agentis indifferentem influxum. Et hoc forsan insinuat, indicatquè

què Scotus in 1. quæst. Prologi ſub lit. R. & repetit in primo diſt. 3.q.4. parùm ſub lit. P. vbi talem ex Henrico adducit propoſitionẽ, quòd videlicet: *Agens vtens inſtrumento non poteſt habere actionem excedentem actionem inſtrumenti*. Quæ propoſitio manifeſtè deſignat principalis cauſæ virtutem ità limitari,& commenſurari inſtrumentalis agentis influxui,vt in illud ſolummodò poſſit ad quod ab aſſumpto inſtrumento contrahitur. Et licèt propoſitio prædicta ſit ex Henrico deſumpta,illam tamen non impugnat Scotus; ſed ad hominem ex ea demonſtrare contendit dumtaxat aduersùs Henricum, quòd illa admiſſa non apparet tunc qua ratione poſſit aſſumi vt inſtrumentũ à luce increata ad veritatis ſinceræ notitiam intellectus agentis facultas & lumen, quod de ſe limitatur ad ſolã cognitionem ex ſenſibilibus habitam, vt patet intuenti literam eius.

Hanc etiam eſſentiæ rationalis animæ à ſuis potentijs determinationem nõ leuiter indicat Scot. in 2. diſt. 16. quæſt. vnic. ſub lit. H. & deinceps in 4. diſt. 1. quęſt. 1. ſub lit. X. in probatione tertiæ propoſitionis. Sed euidẽtiùs in 2. Quodl. ſub lit. P. vbi proponens dubiũ: *Quare non poteſt eſſentia ſola, vt diſtinguitur contra voluntatem & intellectum, eſſe principiũ communicandi ſe*. Reſpondet quòd: *Eſſentia merè intellectualis non eſt principium alicuius productionis; niſi vt coincidit cũ memoria, & voluntate*. En igitur quomodò etiã indifferens eſſentiæ Diuinæ concurſus determinatur per potentiarum eius particularem influxum.

PRO-

PROPOSIT. XII.

Demonſtratur Scotum nè ſomniaſse quidem ſecundum explicandi modum.

NVlla quidem ratione debuerat in dubium reuocari; an Scotus inſinuauerit, vel remotiſſimè indicauerit ſaltem ſecũdum modum explicandi ſubordinationem, qua in operando à primo efficiente dependet cauſa ſecunda: quoniam vt ex mille teſtimonijs eius demonſtrabimus infrà, cùm apertè phiſicam determinationem ſuſtineat ipſe, non eſt igitur; cur ſomniare ſaltẽ potuerit illum. Nihilominùs tamen nè fortè ex adductis teſtimonijs ſcrupulorũ mens hæſitandi deſumeret occaſionem, vel indè (vt mentito pallio) auctoritate tanti Doctoris indutus, hunc eundem explicandi modum aliquis inferre contenderet; cõſultò igitur ipſum in controuerſiam adducendum, ac fauentia teſtimonia referenda cenſuimus, vt ex ipſorum facillima ſolutione oblatrantium ora claudantur.

Ad obiectorum igitur euidentiam & diſſolutionem ſcito, quòd non poteſt determinari id, quod nulla ratione indeterminatum eſt; ſicut liquidò patet ex teſtimonijs ipſis: nec indeterminatum poteſt aliter determinari, quàm eius propria indeterminatio exigat; quando quidem ſicut indeterminationi ſimpliciter correſpondet determinatio vt ſic,ità ſimiliter huic & tali indeterminationi, hęc & talis reſpondet, opponiturquè determinatio; vt appareat ergo quo ſenſu quodlibet indeterminatum à ſuo correſpondenti determinatiuo determinari dica-

tur, videndum est priùs quotuplex, & qualis sit cuiuslibet indeterminatio.

En igitur indeterminatũ multiplex est; aliud videlicet methaphisicè, aliud verò phisicè. Methaphisicè indeterminatũ illud est; quod habet rationem entis superioris, & contrahibilis quomodòcunquè siuè per differentias, siuè per modos intrinsecos. Et vt multa paucis constringamus illud est indeterminatum vt sic, quod aliqua ratione est alteri communicabile cum aliquali dependentia; vt excipiamus ab hac indeterminatione Diuinam essentiam, & quidquid formaliter reperitur in ipsa: quemadmodùm fusè probat Scotus in 1. dist. 8. quęst. 3. sub lit. F. & deinceps in eodem 1. dist. 26. quæst. vnic. sub lit. Y. & Z. in 3. dist. 2. quæst. 1. parùm super lit. E. & alibi sæpè; quo fit, vt illa quæ superioritatis communitatem, vel quamuis cõtrahibilitatem, vel omnem cum dependentia communicabilitatem excludit, non habeant vndè methaphisicè determinari possint, & valeant.

Sed inquies, contrà. Per te omne illud, quod cum aliqua dependẽtia est communicabile, potest methaphisicè determinari; ergo in entibus creatis non dabitur aliquod ens, quòd sit omninò indeterminabile: sed consequens est falsum; ergo antecedens. Falsitas consequentis patet, quia sicut in ẽtibus creatis admittitur ens, quòd sit omninò incommunicabile; sic insuper admitti debet in illis ens, quòd sit omninò indeterminabile. Consequẽtia probatur, quia omnis entitas positiua creata est aliter cõmunicabilis Diuino supposito saltem, vt asserit Scotus

tus in 3.dist. 1. quæst.1. sub lit.H.vbi sic inquit: *Ad quartum concedo, quòd si dependere repugnaret alicui creaturæ, repugnaret ei necessariò per aliquod positiuum: sed nulli potest repugnare, quia omnis entitas creata nō solùm dependet ad increatum vt ad causā; etiam potest dependere hac speciali dependentia.* Hoc ipsum clariùs repetit in 19. quæst. Quodl.sub lit.T.

Prolixam, & ad nostrum institutum penitùs impertinentem proposita difficultas discussionē exigeret; & ideò nè videamur immiscere sacra prophanis, breuissimè dissoluimus; & expleuimus illam. Dicimus ergo quòd cùm Scotus in præcitatis locis & quæstionibus contendat creatam personalitatem non includere formaliter entitatem positiuam, indè factum est, vt arguens quasi per rationem ad impossibile ducentē cōcludere voluerit; quòd personalitas creata nō possit esse formaliter entitas positiua; quādo quidem euidēter tunc sequeretur illam esse communicabilem, cùm positiua sit & simul contradictoriè incommunicabilis ex eo, quòd esset vltimus terminus completæ substantiæ.Falsum est ergo de mēte Scoti creatam subsistentiam sic esse communicabilem alteri, vt ad vnionem hypostaticam asumi possit, & valeat.

Sed etiam dato; quòd communicari posset hoc sēsu, adhuc negaremus ipsam determinari metaphisicè, rigorosè loquendo; quia ad rigorosā determinationem vt sic exigitur, vt determinabile metaphisicum pendeat ad suum determinatiuū sub ratione terminabilis, & actuabilis simul, & correspōdenter determinans ipsū,

& quatenùs cõtrahens actus, & quatenùs finiens terminus comparetur ad illud sicut nõ obscurè colligitur ex citatis locis 1.dist.8.quęst.3.sub lit. F. & deinceps dist.26.quæst. vnic. sub lit. Y. & Z. & 3. dist.1.quęst.2.sub lit.E. Nec istud tantùm sufficeret nisi realis insuper intercederet identitas inter vtrumquè sicut statim declarabimus:phisicè verò indeterminatum illud est,quod per aliquem actum substantialem vel accidentalem realiter ab ipso distinctum perfici potest; quo fit, vt omne illud quod habet rationem materiæ vel subiecti perfectibilis ab actu realiter distincto, sit phisicè indeterminatum. De industria dicitur ab actu realiter distincto, quia penes hoc propriè phisicè indeterminatum à metaphisicè indeterminato seiungitur;siquidẽ phisicus actus perfectibile suum sic actuando determinat, vt ex vi realis distinctionis per informationem adueniat illi: econtrà verò metaphisicus actus cum ex Scoto semper realiter identificetur suo determinabili; quauis igitur informatione præcisa determinat, & actuat illud.

Hinc colligitur primò, sicut inquit Scotus in 1.dist.8. quæst.5. sub lit.Y. *Quòd nihil aliud à Deo est immutabile, loquendo de mutatione, quæ est versio; quia nihil aliud est formaliter necessarium, quodlibet etiam aliud est mutabile subiectiuè nisi propter imperfectionem negatiuam, puta vltimum accidens, quod nullius perfectionis est capax propter sui imperfectionem; vt puta, si sit aliqua relatio,non est mutabilis subiectiuè, quia non potest esse subiectum alicuius: hoc est,quia est imperfectũ negatiuè;id est nõ capax alicuius*

per-

perfectionis.

Colligitur secundò, quòd assumpta natura nec sit propriè indeterminata phisicè, cùm eius dependẽtia terminatur à Diuino supposito realiter & essentialiter ab ipsa distincto; nec propriè phisicè indeterminata, cùm Diuina substantia non informet, nec actuet ipsam. Ipsius ergo determinatio ità præscindit à phisica & metaphisica indeterminatione, sicut præscindit vnio vtriusq; extremi ab vnione accidentali, & essentiali ac substantiali; etiam si compositionem cum imperfectione non respuat, vt docet Scotus in 3. dist. 7. quæst. 1. sub lit. D.

Est insuper aliud indeterminatum phisicè, non ea tamen ratione, qua per phisicum actum perfectibile determinatur, sed ea qua per formam receptam idem perfectibile determinatur vlteriùs ad operandi principium iuxta illa, quæ Scotus decernit in 1. dist. 3. quæst. 7. sub lit. Bb. & expressiùs repetit in eodẽ 1. dist. 7. quæst. vnic. sub lit. E. dicens, quòd: *Indeterminatio est duplex. Quædam est potẽtiæ passiuæ, vt indeterminatio materiæ; & quædam potentiæ actiuæ, illimitatæ ad plures effectus. Exẽplum, sicut Sol est indeterminatus ad producendum multa animalia, non quòd aliquam formam recipiat, vt agat: sed quia habet virtutem productiuam illimitatam. Quod autem est indeterminatum indeterminatione materiæ, oportet quòd recipiat aliquam formam ad hoc, vt agat; quia non est in actu sufficiente ad agendum.* Illud igitur quod est indeterminatum indeterminatione potentię passiuæ determinatur ad operandum per formam receptam in ipso quomo-

mo-

modòcunquè, vel naturaliter, vel violenter, vel neutraliter respiciat ipsa.

Fatetur etiam Scotus in his eisdem locis aliud genus entis determinati, quod est tale propter virtutis illimitationem ad plures & diuersos effectus; sed inquit in priori loco citato, & in posteriori confirmat, quòd hoc *Secundo modo indeterminatū nulla forma alia à se determinatur: sed ex se determinatur ad producendum quemcunquè effectum, ad quem ex se est indeterminatum*. Et huius rationem assignat in 1. dist 7. quæst. vnica sub lit. F. dùm inquit: quòd *Si tale actiuum esset de se determinatum ad vnum effectum, posset de se sufficienter producere illum: sed si esset indeterminatum ad hoc, & ad illud ex tali illimitatione nulla tollitur perfectio causalitatis eius respectu talis effectus, sed tantùm causalitas additur respectu alterius; igitur ità potest producere istud & illud, sicut si esset tantùm istius, & ità non requiritur aliquod determinans*.

Sed contra hoc est idem Scotus in 1. dist. 2. q. 7. sub lit. X. vbi vult, quòd quantùmuis intellectus sit secundū virtutem illuminatus ad multas, diuersasq; notitias (vt etiam asserit ipse in præcitato loco 1. dist. 3. q. 7. sub lit. Bb.) *Potentia tamen rationalis, quæ ex se est ad opposit[a], non potest ex se exire in actū: tunc enim simul exiret in opposita, quia simul esset oppositorum, & ex hoc concludit Philosophus 9. Metaphis. tex. com. 10. quòd præter illam potentiam rationalē, oportet ponere aliam potentiam rationalem determinatiuam, per quā determinetur, & illa determinata potest exire in actum; & ex hoc sequitur, quòd intellectus si est oppositorum, sic est*

oppo-

oppositorum per modum naturæ, quòd quantùm est de se, necessariò est oppositorum, nec potest se determinare ad alterũ illorum; sed requirit alterum determinans, quod liberè potest exire in alterum oppositorum; hoc est appetitus secundum eundem vel prophæresis. Et euidentiùs hoc idem repetit in 2.dist.25. q.vnica in responsione ad vltimũ principale, vbi hęc habet formalia verba. *Ad aliud de potentia contradictionis, quod est in potentia contradictionis ad aliqua non se determinat ad vnum illorum, dico quòd aliqua est forma in potentia contradictionis, vt scientia, quæ est contrariorum, & ista non potest se determinare; quia est diminuta & imperfecta quantùm ad hoc, & respicit vtrumquè contrariorum. Vndè Aristoteles vult, quòd si ex se sine alio determinante procederet ad actum, simul producere contraria. Alia est forma in potentia indeterminata perfecta tamen, & non diminuta obiecto sibi præsentato, cuiusmodi est voluntas, & ista potest se determinare, & etiam alia: vndè Aristoteles 9. Met. tex. com. 3. & 10. quia dixerat, quòd sciētia est contrariorum, & tamen ad nullum illorum potest se determinare: Determinatiuũ, hoc autem dico appetitum vel prophæresim. Potentia igitur rationalis perfecta, cuiusmodi est voluntas; quàmuis sit contradictorium, poterit determinare se obiecto præsente ad vnum illorum.*

Ex quibus testimonijs illud præsertim notare debemus, quòd Scotus asserit, intellectum non solùm determinari à voluntate; sed sic insuper esse indeterminatũ, vt necessariò determinationem expostulet, si debeat in actum erumpere: & hinc est, quòd vocat intellectiuã poten-

tentiam diminutam, & imperfectam in operando; ecõtrà tamen volitiuam potentiam perfectã appellat. Cur igitur in præcitatis locis asseruit indeterminatum indeterminatione potẽtię actiuæ, propter illuminationem virtutis, nullam ad operandum determinationem exposcere.

Hæc instantia facilè soluitur, & simul ex eius solutione videbitur, qua ratione requirat; & quo sensu determinatione excludat, indeterminatum propter virtutis illimitationem ad plures effectus. Scotus igitur non negat simpliciter in præcitatis locis, indeterminatum vt sic determinationem exigere; sed tantùm negat ipsum determinari per superadditã formam, quo sensu determinatur id, quod est indeterminatũ indeterminatione potentiæ passiuæ. Ibi namq; ad inuicem cõparat Scotus vtrumq; indeterminatum, & cõcludit determinari difformiter: alterum per formam receptam videlicet; alterum verò per solam obiecti præsentiam, vt Doctor ipse fatetur in 1. dist. 3. q. 7. sub lit. Bb. dum inquit: *Ita in proposito indeterminatio intellectus non est indeterminatio potentialitatis passiuæ in ordine causalitatis; sed est indeterminatio actualitatis, quasi illimitatæ, & ideò non determinatur per formam, quæ sibi sit ratio determinatè agendi: sed tantummodò per præsentiam obiecti; circa quod determinatum nata est esse determinata intellectio*. Hoc ipsum asserit etiã de natura Diuina in eod. 1. dist. 7. q. vnic. sub lit. F. dicens: *Ad propositum, essentia Diuina non est principium indeterminatum, indeterminatione materiæ; igitur sine determinatione alterius quasi principij*

cipij actiui erit simpliciter determinatum determinatione, quæ requiritur ad agendum, ità quòd non requiritur aliquid aliud. Excludit igitur Scotus ab indeterminato indeterminatione actiuæ potẽtiæ determinatiuum, quod sit sibi formale principium agendi; cùm habeat se ipsa in esse quieto perfectã operandi virtutem. Admittit tamen in ipso determinatiuũ extrinsecum, vt intellectu obiecti præsentiam; in Sole verò approximati receptiui dispositione, & sic in cęteris eiusdem furfuris indeterminatis dicendum, vt insuper colligitur ex 1. dist. 2. qu. 7. sub lit. X. vbi proponit exẽplũ de Sole, & ex vlt. quęst. Quodl. sub lit. Q. & R. & alibi sæpè.

PROPOSIT. XIII.

Prosequitur idem intentum.

ADmittit etiam in intellectu præter obiecti præsentiam, aliud determinatiuum, voluntatem videlicet, vt patet maximè in 2. dist. 25. q. vnic. in responsione ad vltim. & in 16. quæst. Quodl. sub lit. S. Iste tamen determinationis modus & assertio non contradicit ijs testimonijs, in quibus negauit Scotus intellectum indeterminatũ indeterminatione illimitatę virtutis ad plures effectus, determinationẽ exigere; quando quidem vt dictum est, ibi contendit excludere ab indeterminato vt sic indifferentiam illimitationis ad plures effectus, non autem indifferentiam influxus: quasi verò illimitati agentis influxus sit ità inde-

terminatus respectu particularium effectuum, vt indigeat aliquo indeterminatiuo, quòd ad huius & illius effectus indiuidui productionem contrahat, & limitet indifferentem communéquè virtutem ipsius; nam vt inquit Scotus in 1. dist.7. qu. vnic. sub lit. F. *Si tale actiuum esset de se determinatum ad vnum effectum, posset de se sufficienter producere illum: sed si est indeterminatum ad hoc, & ad illud ex tali illimitatione, nulla tollitur perfectio causalitatis eius respectu talis effectus, sed tantùm causalitas additur respectu alterius; igitur ità potest producere istud & illud, sicut si esset tantùm istius, & ità non requiritur aliquod indeterminans.* Et superaddit in 4. dist. 50. qu.3. sub lit. A. quòd: *Quando causa est illimitata ex perfectione sua ad plures effectus in se, ex se est determinatissima determinatione excludente contradictionem, vel indifferentiam ad cōtradictoria ad quodcunq; illorum plurium. Probo, quia si esset tantùm illius, esset determinata ad illud; sed quod extēdit se etiam ad aliud causandum nihil diminuit de virtute sua respectu illius, nec impedit determinationem sui respectu illius.*

Intellectus igitur (his non obstantibus) cùm sit illimitatus ad plures, & diuersos effectus, & naturaliter agat; nō habet per hoc, vndè seipso possit exire in determinatam notitiam hāc, nisi ex nutu & imperio voluntatis: voluntas siquidem principatur omnibus nostris potentijs dominio despotico, vt tenet Scotus pluribus in locis, sed maximè in 2. distinct.42. in omnibus illis quęstiúculis, in quibus pręsertim ostēdere nititur; quòd cogitatio, verbum, & opus mora-

moralem malitiam includere valeãt per hoc, quòd subduntur nostræ volũtatis imperio, quò ad libitum suum intellectum auertit ab hoc, & ad illud conuertit obiectum, & quo cuncta corporis membra mouet, impellitquè localiter: quemadmodùm etiam in 3. dist. 36. qu. vnic. sub lit. G. de intellectu præsertim determinat Scotus, ibi namq; subtiliter (vt solet) explicat, qua ratione priuatiuè & positiuè voluntas intellectus excæcat.

Pluribus ergo, & diuersis obiectis præsentibus intellectiuæ potentiæ, statim ipsa ex naturali & illimitata virtute, quam habet, cæco impetu ferretur in omnia: sed si preueniat eam voluntatis imperium, tunc in illius dũtaxat obiecti notitiã influet, ad quod eam inclinabit, impelletquè voluntas; iuxta illud Anselmi de peccat. orig. c. 4. vbi extendens, quòd voluntas sit imperatrix in toto Regno animę, inquit: *Dedisti nobis Dominum, cui non obedire non possumus.* Non aliam igitur determinationẽ ab imperio voluntatis expectat intellectiua potentia, nisi illam, quæ illimitationis indifferentiam excludit ab ea: & hinc est, quod Scotus in loco præcitato 2. intellectus actiuitatem, per cõparationem ad voluntatis virtutem esse diminutam, & imperfectam; quia vt fusiùs declarabimus infrà, voluntas ex innata libertate diuersis sibi præsentibus obiectis, potest reliquis reiectis ad hoc tantùm mouere & applicare se ipsam, quòd nulla ratione contingere potest in intellectu naturaliter agente.

Sol etiam indeterminatus vt sic, sicut exemplificat Scotus ibidem, determinatur ad particularem effectũ ad particu-

ticularis receptiui concursũ; quemadmodùm & intellectus determinatur ad particularem notitiam ad particularis obiecti præsentiam: ea tamen intercedente differentia inter vtrumq; vt Sol nõ habeat determinatiuum superius, ad cuius nutum correspondenter ad intellectum, concurrente multitudine dispositarum materierum, sic tollatur illimitationis eius indifferentia; vt hãc potiùs, quàm illam substantialem formam inducat. Intellectus igitur duplex habet determinatiuum, alterum in ratione superioris agentis, & hoc imperfectionem importat in ipso; quia subordinationem & dependentiam, alterum verò in ratione concurrentis, & concomitantis causæ, obiectum videlicet sicut dispositum passum, & hoc nullam imperfectionem inuoluit in eo, quoniam nec subordinationem, nec propriè diminutionem virtutis: licèt enim intellectus non possit se solo notitiam gignere, sed necessariò exigat ad illam obiecti concursum, id tamen non euenit ex eo, quòd intellectus actiuitas ità possit augeri, vt independẽter ab obiecto notitiam eius aucta facultas producere valeat: quoniam etiam si in infinitum cresceret virtus illius, nunquàm se solo posset in notitiæ productionem erumpere; illa igitur exigentia cõcausæ, quæ potiùs prouenit ex effectu producendi naturã, quàm ex diminutione virtutis agentis alterius, nullam imperfectionem importat in ipso: aliter etiam Deus eandẽ inuolueret imperfectionem; siquidem etiã ipse nequit sine causarum concursu illos effectus producere, qui ab eisdem causis essentialiter pendet. Ex his opti-

optimè deducere possumus, quòd omnis illa causa, quæ necessariò in effectus productione sub quouis prætextu, & in quocunq; genere, concausam admittit; hoc explicato sensu determinatur à causa, quam exigit.

Hoc eodem genere determinationis omnis causa superior, virtualiter continens plures effectus, determinatur item ad hunc, vel illum particularem effectum: sed non ea ratione tantùm, qua vel à passo vel obiecto præsente terminatiuè (vt ità dicam) determinatur vt sic Sol, & intellectiua potentia; per hoc namq;quòd Solis & intellectus influxus ad tale passum, & ad tale terminatur obiectum, fit vt ille in húc particularem effectum, & iste in hanc specialem erúpat notitiam: sed determinatur insuper illo altero sensu, vt ex concursu particularis, & inferioris agentis, causæ superioris actiuitas indeterminata indeterminatione illimitationis determinetur ad particularem effectũ non causaliter;per motum & impulsum videlicet; neq; formaliter tanquàm per formalem rationem agendi, sed per hoc, quod ab hoc inferioris & indeterminatæ causæ concurrente virtute habet, vndè indeterminatum prorumpat effectum: causa siquidem naturalis,& illimitata ad plures effectus,quantùmuis determinatissima sit ad singulos illorum, quos virtualiter continet, adhuc non habet ex se vndè magis in hunc, quàm in illum effectum possit exire, nisi à particulari causa concurrente secum; quia quantùm est ex parte ipsius in omnes simul erumperet, si adessent alia requisita, vt patet in intellectu & Sole, ex quibus

ille tot simul notitias, quot habet obiecta, & iste tot simul producit effectus, quot habet præsẽtia disposita passa: sicut igitur intellectus actiuitas ab obiecto terminatiuè, vel vt à termino determinatur ad hanc eius specialem notitiam, ità similiter à coagente specie principiatiuè, vel vt est in via ad notitiæ productionem, determinatur ad eandem numero notitiam; eo tamen sensu, vt si per possibile vel impossibile illimitationis indeterminatio intellectiuæ potentiæ non determinaretur, ac limitaretur terminatiuè ad indiuiduam notitiam à specificante obiecto: sufficienter adhuc & quatenùs productiua, & potiùs vt actualiter efficiens ipsam determinaretur; vt tenderet in illam, ac eius obiectum, à specie coagente cum ea. Et vt paucis multa constringamus, intellectiua potentia ad plures illimitata notitias, terminatiuè limitatur ad hanc; occasionaliter verò determinatur, vt sic à specie concurrente.

Hanc terminatiuam, & occasionalem determinationem intẽdit exprimere Scotus vbi suprà dist. 3. 1. q.7. sub lit. Bb. Terminatiuam dum ait: *Sicut Sol præsente passo generat quodlibet generabile, ex quo ipsum natum est generari; ità in proposito indeterminatio intellectus, non est indeterminatio potentialitatis passiuæ in ordine causalitas: sed est indeterminatio actualitatis, quasi illimitatæ, & ideò non determinatur per formam, quæ sit sibi ratio determinatè agendi; sed tantummodò per præsentiam obiecti, circà quod determinatum nata est esse determinata intellectio.* En quomodò ex specificante passi & obiecti præsentia gene-

generabilis effectus in Sole, & notitiæ producibilis in intellectu terminatiuam determinationem deducit: occasionalem verò, dum ibidem ad propositam difficultatem aliam responsionem subnectens sic inquit: *Vel aliter posset dici, quòd sicut causa superior determinatur ad agendũ concurrente aliqua particulari causa inferiori, sicut Sol ad generandum hominem concurrẽte homine agente, & bouem concurrente boue; non autem per aliquam formam in se receptã, ità intellectus qui est causa superior, & causa illimitata determinatur ad hoc obiectum, concurrente causa particulari determinata: puta ad agendum circa hoc obiectum concurrente hac specie; non enim istud determinans determinat effectiuè causam indeterminatam superiorem, neque formaliter, sicut ratio agendi: sed sic determinat, hoc est virtus actiua superior indeterminata potest indeterminatũ effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente.*

Ex quibus verbis illud est omninò notandum, quòd Scotus velit superiorem ab inferiori causa determinari; sed non per formam receptam ab ea nec effectiuè, nequè formaliter vt per rationem agendi, sed solùm ea ratione: quia *virtus actiua superior indeterminata potest indeterminatum effectum, tali virtute inferiori determinata concurrente*. Quod cùm idem, sit ac si dixisset expressè; quia superior & indeterminata virtus intellectiuæ potentiæ ad hanc determinanda notitiam, non determinatur ab inferiori causa, nec per formam receptam, nec effectiuè, nequè formaliter vt per rationem agendi: restat igitur vt à sufficienti partium enumeratione occasio-

casionaliter, vt ità dicam, determinetur ab ea; quoniam quasi ex occasione determinatæ causæ prorumpentis in ordine suo in particularem effectum, ad quem limitatur dumtaxat ex intrinsecis suis, intellectus habens etiam ipse respectu eiusdem effectus limitatam virtutem, in illum tantùm, & non in alium per illam erumpere potest in ordine suo, nisi forsan aliundè tunc simul occasionetur ad alterius notitiæ productionem.

Et hinc fit latam esse differentiam inter determinatiuum illud, quo vt à superiori; & aliud, quo vt a cõcausa ad hanc notitiã determinatur intellectiua potẽtia: si quidem illud voluntas videlicet ità determinet eam ad huius obiecti notitiam, vt nulla ratione perseuerante mouentis voluntatis imperio, aliam tunc notitiam gignere possit; quantùmuis alia sint sibi obiecta præsentia & pluribus informata sit obiectorum idolis. Istud verò in tantum determinat ipsam ad hunc particularem effectum, in quantum aliàs species non mouet in ordine suo, & aliud non concurrit obiectum: alia namque specie simul mouente, & alio simul occurrẽte obiecto, statim in aliam prorumperet notitiam, vt colligitur ex Scoto maximè in 2.dist. 42. quæst. 1. sub lit. G. Sed tunc non auferretur ab intellectu per hanc, vel illam concausam illimitationis indeterminatio; quemadmodùm autem semper ex imperio voluntatis perfectè tolleretur ab eo. Et quòd dictum est de potentia intellectiua multò magìs verificatur in Sole, vbi magis apparet; quòd cùm hoc disposito passo alia multa cõcurrere possunt

sunt: & hoc homine ad alterius hominis productionem agente cum Sole, simul tunc poterit asinus in alterius productionem influere.

PROPOSIT. XIV.

Expenditur, qualẽ indeterminationem habeat creata voluntas.

PLacet tamen examinare primò, vtrùm libertas voluntatis consistat in indifferentia.

DIFFICVLTAS I.

Vtrùm libertas voluntatis consistat in indifferentia ad cõtradictoria, aut in negatione determinationis ad alteram partem, positis omnibus requisitis in voluntate ipsa, necessarijs ad eius operationem?

MOuetur hæc quæstio sic, propter varietatem modernorũ diuersimodè loquentium de libertate voluntatis, & propter verba Scoti in primo dist. 39 vbi docens ad quę se extendat libertas voluntatis, vt voluntas est, ait: *Quantùm ad primum dico, quòd voluntas, in quantùm est actus primus, libera est, ad oppositos actus; libera etiam est mediantibus illis actibus oppositis ad opposita obiecta, in quæ tendit; & vlteriùs ad oppositos effectus, quos producit. Prima libertas habet necessariò aliquã imperfectionem annexam, quia potentialitatem passiuam voluntatis & mutabilitatem: tertia libertas non est prima, quia & si per impossibile nihil efficeret extrà; adhuc in quantum voluntas posset liberè tendere in obiecta. Media autem ratio libertatis ipsa est sine imperfectione, immò necessaria ad perfectionem; quia omnis potentia perfecta potest tendere in omne*

 illud

illud, quod est natum esse obiectum totalis potentiæ. Et aliquantò inferiùs loquens de voluntate Diuina, eiusquè libertate iuxta supradictam distinctionẽ immediatè, ait: *Quantùm ad primũ dico, quòd voluntas Diuina non est indifferens ad diuersos actus nolendi, & volẽdi, qua hoc in voluntate mea non erat sine imperfectione voluntatis* Et inferiùs aliquantulùm: *Ipsa etiam voluntas Diuina libera est ad oppositos effectus, sed hæc non est prima libertas, sicut nec in nobis.* Et quæst. 16. Quodlibeti; cùm dixisset voluntatem aliquandò necessariò agere, non tamen naturaliter, contra se ipsum arguẽdo ait: *Vndè est, quòd voluntas licèt necessariò agat; non tamen naturaliter agit, cùm non possit natura esse magis determinata ad agendum, quàm quòd sit necessitate ad agere?* In responsione verò sic inquit: *Quòd ideò non agit naturaliter, quia ipsa nõ determinatur ab aliquo agente superiori; sed ipsamet* (ait) *est tale actiuum, quòd seipsã determinat in agendo, quòd si ipsa volũtas aliquid velit necessariò, puta A. nõ tamen illud velle causatur à causante voluntatẽ* (subaudi immediatè) *sed posito actu primo, quo voluntas est volũtas, si ipsa sibi relinqueretur, & si posset contingenter habere, vel non habere hoc velle; tamen se ipsã determinaret ad hoc velle.* Hæc Scot. vbi exactè pro sua sententia ostendit, in quibus consistit libertas voluntatis. Pro clariori notitia supramotę quęstionis aliqua sunt prænotãda, deindè conclusio negatiua probabitur vera; tertiò affimatiua suis rationibus adductis, & solutis ostendetur falsa, & erit finis huius primæ Difficultatis.

Quò ad primum fallimur loquendo de libertate volũtatis

tatis

tatis, nisi secernamus voluntatem, vt abstrahit à creata & increata, & à libero etiam arbitrio: nam liberum arbitrium, vel arbitraria libertas sunt conditiones voluntatis, inter quas nõ est discrimen; si enuncientur primo modo, scilicet nominãdo arbitrium substãtiuè, & libertatem adiectiuè: aut si secundo modo, nominando libertatem substãtiuè & arbitrium adiectiuè, in Logica significatum formale concreti non distinguitur à significato formali abstracti; differunt tamen inter se sic, quòd arbitrium est conditio voluntatis respicientis iudicium intellectus arbitrantis hoc esse melius illo; & ostendentis, quid sit eligendum à voluntate, quiduè respondendum? Sed libertas est cõditio voluntatis absolutè sumptæ. Vlteriùs, arbitrium dicit perfectionem supplentem imperfectionem, quia includit deceptibilitatem: sed libertas est perfectio simpliciter; hinc non satis rectè à quibusdam ponitur in Deo libertas arbitrij, de qua difficultate aliàs. Et arbitrium immediatè significat actum intellectus, vel aliquid ipsius; libertas nõ significat actum, nec modum actus: sed volũtatem & modum eius, vt facultas est, siuè vt est virtus quædam in anima, vel in essentia rationali ad volendum. Ex hoc prænotabili sequitur aliud non aspernendum, scilicet.

Quòd cùm nominemus liberum arbitrium, nominamus perfectionem imperfectioni coniunctam; nimirùm libertatem vertibilitati adiũctam, vel dominium flexibilitati copulatum. Et hæc imperfectio est alia (vt constat) ab illa, quam connotat arbitrium: hinc sacrum Concilium Tridentinum sess. 6.

quod determinat contra Lutherum, totum est de libero arbitrio; nam per peccatum non amisit voluntatem, nec libertatẽ voluntatis, sed amisit vigorem liberi arbitrij per cæcitatem mentis, & per amissionẽ gratiæ amplectendo faciliùs mala: immò per libertatem suæ voluntatis homo antequàm gratiam Dei sit adeptus, liberè se disponit ad gratiam, liberè assentiendo adiutorijs oblatis sibi à Deo tangente eius cor, illuminante eius mentem, ac excitante illum ad gratiam iustificationis. Vide ibidem cap. 5.

Ex hoc sequitur tertiò, quòd voluntas non dicitur libera à quadam spontaneitate (vt ita dicam) quia hæc solùm passiuitatem dicit, vndè & secundum Philosophum spontè genita dicuntur, quæ ex putri oriuntur; vel sine semine. Et Columella lib. 9. cap. 4. *Est enim satiua* (inquit) *& altera suæ spontis, itemquè semper virens primus.* Spõtale dicitur, quod fit sine labore, & sine vi; & si velimus exactè videre quid sit spontaneum ac liberum, inueniemus quòd spõtaneũ mediat inter liberum & naturale, quia principium actiuum rei spontaneæ non se ipsum determinat: sed quia sine vi ex bona dispositione in materia facillimè suũ effectum sortitur absq; reluctantia, ideò cum libero conuenit; magìs tamen accedit spontaneum ad naturale, quàm ad liberum. Lutherus constituit liberum arbitrium seruum, quia solam spontaneitatem in ipso nitebatur ponere; tanquàm si esset potẽtia passiua tantùm: sed contra ipsum decreuit Concilium Tridentinũ sess. 6. can. 4. hoc modo: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium*

trium à Deo motum, & excitatũ nihil cooperari à Deo &c. Et paulò inferiùs ſequitur: *Sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque paſſiuè ſe habere &c.* Nec Scotus (vt falsò quidam exiſtimant) poſuit liberum arbitrium dici tale à ſola ſpontaneitate; ſed dicitur liberum, quia ſpontè patitur, & liberè ſe ex ipſo determinat, & in hoc maximè conſiſtit ſua libertas.

Quartò prenotãdũ, quòd libertas ſolet accipi à dominio volũtatis ſuper actu ſuo; ſed oportet aduertere dominium eſſe quid genericũ ad dominium diſpoticum, & ad dominium politicum; & hoc ſecundum eſt verum dominium, quàmuis Dominus dominio diſpotico poſſit pro ſuo libito, aut etiam pro ſua libidine benè & malè vti re ſibi ſubiecta: & filiusfamilias, qui ſuccedit in hæreditate, quam Iuriſtæ vocant fideicõmiſſam nec vendere, nec alienare poſſit; non ideò negandus eſt eſſe Dominus illius, & poſſet probari quòd ſit Dominus, quia defunctus non eſt Dominus: alij & ſi habeant aliquid iuris in ea hæreditate, nõ sũt Domini; ergo ipſe ſolus eſt Dominus illius hæreditatis. Ità accidit aliquando voluntatem neceſſariò actum, cuius non habet dominium diſpoticum, ſed habet politicum &c.

Quintò prænotandum: quòd indifferentia hìc à Scolaſticis vſurpatur, & non in propria ſignificatione ſumitur: nam propriè indifferens vocatur, quòd nec bonum eſt, nec malum vt paupertas, inquit Seneca epiſt. 83. & Suetonius in Domitiano, de eius nece loquens ait: *Occiſum illũ Populus indifferenter, miles grauiſsimè tulit.*

Si

Si voluntas diceretur libera, quia est indifferens ad cõtradictoria, solùm esset libera quando nihil ageret; quòd quàm sit absurdum, cuiuslibet sit iudicium &c. Scotus tenet libertatem esse adeò intrinsecam voluntati, quòd etiam quando operarur circa illam operationem, liberè se habet; qui secus sentiunt, non adimunt libertatem à voluntate gratis.

Sextò pręnotandũ, quòd à determinatione nõ est aliqua neccessitas, sed applicatio ad aliquid definitè; vt quã do indicitur hora lectionis, illa quæ erat vaga, definitur vt stet pro certa, & signata hora: hæc tamen tria solent vt plurimùm accipi pro eodem; nempè indifferentia, indeterminatio, ac illimitatio. Intellectus est illimitatus ad plura simul, sicut & sensus; in legendo namquè oculus simul & semel videt, ac discernit album & nigrum, idem potest & intellectus, vt puta iudicando de veritate vnius extremi contradictionis, simul iudicat de falsitate alterius extremi: sed nõ est indeterminatus, voluntas volens simplici volitione sanitatem, & media quibus eam consequatur, est determinata respectu vtriusque, & illimitata simul; potest tamen esse indifferens, vt potè intellectus ostendat æquè benè posse haberi sanitatem per flebotomiam, sicut per potionem amaram, relinquẽndo illi optionem. Indifferens est ante electionẽ, sed sẽper & ante & post electionem libera est; siuè vnum, siuè alterũ eligat, benè eligit, & liberè eligens indifferẽtia cessat non cessante libertate. Quę omnia sunt animaduertenda pro notitia conclusionis, respectu cõtradictoriorũ potiùs est potestas, quàm indiffe-

differentia, & libertas ſe extendit ad contradictoria magìs, quàm indifferentia; vt voluntas magìs dicatur eſſe libera ad velle concurrere, quàm indifferens: nam ad non currendũ magìs videtur inclinata, quia ſine labore currere non poteſt; ideò non æquè indifferẽs eſt & ad curſũ,& ad quietem.

Septimò prænotandum, quòd dominium reſpicit bonum per ſe, malum verò per accidens; vt ſi quis dicitur Dominus ſui ipſius,quia poteſt interficere ſe. Hoc eſt impropriè dictum, permutatio in dominio rationabilis eſt, alienatio & translatio dominij eſt priuatio & malum; ideò poſſe peccare non eſt per ſe libertas, ſed ſeruitus aut miſeria,quę non eſt intrinſeca libertati, vt quid eſſentiale eius, ſicut generaliter nulla imperfectio eſt eſſentialis alicui, tametſi aliqua ſit intima rei, non tamen eſt illi eſsẽtialis. Hinc Deus etiamſi non poſſit peccare nec errare, nec decipere, nec deſtruere ſe;non propterea non eſt liber, immò nulla libertate caret, quàmuis hæc ſibi ſimplici volitione velle nequeat.

Octauò prçnotãdũ, quòd libertas eſt adeò neceſſaria voluntati; vt ſine libertate voluntas eſſe nequeat: Vndè Anſelmus de libero arbitrio cap. 11. id aſtruens aſſerit, *nec poſſe peccatorem ſe priuare ipſa*. Duo ibi conſiderat in voluntate, rectitudinem & libertatem; rectitudine ſe per ſe ipſum peccator priuat: libertate verò nec per ſeipsũ, nec per alterum priuari poteſt. Si peccator non ſe priuare poteſt, cùm tamen eius liberum arbitrium per peccatum ſit attenuatum viribus,atquè inclinatum;quędam alia voluntas poterit ſine li-

ne libertate dare? His prænotatis pono hanc cõclusionem, quam censeo esse verissimam.

Libertas voluntatis non consistit in indifferentia ad contradictoria, nec in negatione determinationis ad alterã partẽ, positis in ea omnibus requisitis necessariò ad eius operationem; quam sic probo.

Voluntas Dei determinata ad saluandum Petrum, & non indifferens ad saluandum ipsum, aut ad perdendum liberè vult saluare Petrum; ergo libertas non consistit in indifferentia, nequè in negatione determinationis.

Prætereà in essentialiter ordinatis circulus est impossibilis, nec vnquàm inclusũ essentialiter includit essentialiter suum includens, sed hæc est formalis consequentia: Ista potentia actiua est indifferens actiuè, & indeterminata actiuè; ergo est libera. Igitur indifferentia includit essentialiter libertatẽ, & similiter indeterminationẽ; ergo libertas non includet essentialiter indifferentiam, neq; indeterminationem: vel dicendum est, quòd idem respectu eiusdem est superius, & inferius, & minus commune &c.

Preterea perfectio simpliciter consistit in entitate affirmatiua potiùs, quàm in negationibus; indifferentia & indeterminatio dicunt negationem: libertas verò dicit perfectionem simpliciter, vel perfectionẽ conditionis simpliciter; ergo &c.

Prætereà & est confirmatio primæ rationis; D. Basilius Homelia, quòd Deus non sit Auctor malorum: *Solutam* (inquit) *ab omni necessitate & voluntaria, ac in sua potestate sitam vitã à Conditore*

tore adeptam anima per hoc ad imaginem Dei creata est; sed vita Dei non est indifferens ad esse & ad non esse, nec eius voluntas est indeterminata ad volendum vitam, aut non volendum vel ad volendum oppositum suæ vitæ: immò hoc vltimum est impossibile; ergo vita nostra si est ad imaginem illius, non est soluta à necessitate, quia indifferens vel indeterminata: nequè voluntaria est, quia indifferens vel indeterminata: sed quia absolutum est ab omni coactione, violentia, & ineuitabilitate; & ex se ipsa determinatiua est sui ipsius &c:

Prætereà gratia est perfectio naturæ: libertas verò est connaturalis voluntati, sed gratia voluntas creata fit inuertibilis; ergo determinatio non impedit, nec adimit libertatem. Et confirmatur hæc ratio, quia perfectio debet confirmari suo perfectibili, gratia tollit indifferentiam, & apponitur indeterminationi; ergo relinquit voluntatem in perfectione suæ libertatis, ergo libertas non includit indifferentiam, neq; indeterminationē &c.

Prætereà Augustinus in Enchyridio cap. 14. *Sic enim oportebat priùs fieri hominem* (ait) *vt & benè posset velle et malè; nec gratis vel frustrà si benè, nec impunè si malè. Posteà verò sic erit, vt malè velle non possit, nec ideò libero carebit arbitrio; multò quippè liberius erit arbitrium, quòd omninò non poterit seruire peccato: nequè culpanda est voluntas, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est; qua beati sic esse volumus, vt esse miseri non solùm nolimus, sed nequaquàm prorsùs velle possimus: sicut enim anima nostra nunc habet nolle infælicitatem; ità tunc nolle iniquitatem semper habitura est &c.* Ex his verbis

non patet, quòd gratia potest quidem tollere indifferentiam ac indeterminationem à voluntate, non autem libertatem; quia etiam secũdum omnes Theologos Catholicos gratia non sanat liberum arbitrium, sanatum non adiuuat, sanando & adiuuando non applicat ad bonum, & si applicat non determinat, aut saltem non condeterminat: si voluntas se determinat ad bonum, & gratia Dei eam condeterminat, & tamen non adimitur eius libertas; ergo ipsa libertas est perfectio in voluntate prior & perfectior indifferentia, dato quòd indifferentia esset perfectio. Nec accipio hìc voluntatem & gratiam pro instanti, vel puncto, quo elicitur actus, sed ante optionem & exercitium.

Prætereà Anselmus de libero arbitrio cap. 1. qui sic habet: *Quòd decet & expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere; liberior igitur est voluntas, quæ à rectitudine declinare nequit*. Hæc Anselmus: ex quibus verbis confirmatur superior ratio.

Prætereà perfectio addita perfectioni sibi compossibili non adimit quidquam de illa, addita verò perfectioni vel conditioni incompossibili adimit, vel tollit illam: sed sic est, quòd respectu voluntatis aliqua perfectio, vel conditio perfectionis non adimit libertatem ipsius, adimit tamen indifferentiam; ergo libertas non consistit in indifferentia. Probatur minor, accipio voluntatem antequã eligat ex duobus bonis maius bonum, & volo quòd ostendantur ipsa bona duabus voluntatibus; nempè viri periti ex vna parte,

ex alia ostendantur eadem bona voluntati amentis vel phrenetici, aut pueri, vel etiã viri, sed hebetioris intellectus. Certum est, quòd bonitates illas minus apprehẽdet mens istorum, quã mens viri periti: sed maior apprehensio est perfectio, vel saltem conditio, qua mediante voluntas indifferens se determinat, & applicat ad maius bonum; ergo maior apprehensio adimit indifferentiam illam, libertatẽ verò non adimit, immò perficit vel adiuuat, patet: Quis enim diceret sapientem virũ eligere maius bonum minùs liberè, quàm amẽtem, phreneticum, puerum, vel virum hebetioris iudicij? Stulta libertas nonnè potiùs est seruitus, quàm libertas.

Prætereà hæc sententia est priscorum, & maximorũ Scholasticorum; ergo vera. Antecedens probatur, est D. Bonauenturæ in 2. dist. 14. q. 1. part. 1. vbi quæsiuit: An dari potuerit homini libero arbitrium inflexibile? In corpore quæstionis concludit negatiuè, & probat; quia non potest dari inflexibile propter coarctationem, neq; propter determinationem. Et probando quòd non propter determinationem, inquit: *Si autem inflexibile esset ad malum propter determinationem, quia sic potens esset per propriam naturã in bonum; vt non posset deficere in malo, sicut est de libero arbitrio Diuino, quod ad sola bona determinatum est, iam tale liberum arbitrium careret vanitate per naturam &c.* Vides Bonauẽturam fateri voluntatem Dei liberam, & tamen determinatam ad bonum? Idem fatetur & D. Thomas 3. parte quæst. 18. art. 4. ad tertium, cùm enim quæsiijsset; vtrùm in Christo

fuerit liberum arbitrium? Resoluit affirmatiuè, gratia disputationis tamen, ait arguendo: *Liberum arbitrium se habet ad vtrumq;* voluntas Christi fuit determinata ad bonum: ergo. Respondet D. Thomas sic: dicendũ, *quòd voluntas Christi, licèt sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel ad illud bonum; & ideò pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad Beatos*. Vides liberum arbitriũ cum determinatione stare? vides illam solam indifferẽtiam ac indeterminationem ad plura, de qua superiùs dixit Scotus sufficere ad libertatem: vbi Caietanus nec verbum dicit &c. Eandem sententiam tenuit Alexãder Alensis parte 2. quæst. 72. memb. 2. ac art. 3. vbi cùm quæsijsset; an liberum arbitrium dicatur sic, quia indifferenter sit boni & mali, an quia magìs est boni, quàm mali, an quia mali magìs, quàm boni? Respondet per ista verba: *Liberum arbitrium tripliciter consideratur, vno modo secundum quod non cogitur; & hoc modo dicitur liberum; quia indifferenter est boni, & mali: alio modo dicitur liberum secundum naturam, qua assimilatur Deo, & secundum hoc est boni principaliter: tertio modo consideratur quantùm ad effectum naturæ, quem habet ex eo quòd creatura &c.* Eiusdem sentẽtiæ fuit Diuus Bernardus, nam in tractatu suo de libero arbitrio ait: *Diabolus liberè corruit in malum, & persistit suo voluntario motu, non alieno impulsu &c. Item quòd Diabolus non potest bonum, nõ est ex aliena oppressione; sed ex voluntaria obstinatione, & obstinata voluntate &c.* Et super Cãtica Serm. 81. *Porrò*

(inquit)

(inquit) *vbi voluntas & libertas; quod tamen dico de naturali non de spirituali, qua libertate (vt dicit Apostolus) Christus nos liberauit*. Iterùm in eodem tractatu de gratia, & libero arbitrio: *Enimuerò aliud* (ait) *est volũtarius cõsẽsus aliud naturalis appetitus, consensus voluntarius nos discernit* (subaudiatur à brutis) *est enim habitus animi liber sui, siquidem non cogitur, non extorquetur; est quippè voluntatis, non necessitatis*. Vbi ergo consensus, ibi voluntas; & vbi voluntas, ibi libertas: en libertas, si supra indifferentiam & indeterminationem ponenda sit. Iodocus etiam Clictoueus D. Ioannis Damasceni Commentator, Parisiensis Magister in Commentario ad 22. cap. lib. 2 de fide orthodoxa Damasceni sic habet: *Neque rationi libertatis in Deo obstat naturalis indefectibilitas in malum, nam vertibilitas ad libertatis rationem non exigitur, neque in summa primaq; locum habere debet; sed potiùs defectio est & lapsus à perfectione absolutæ & primariæ libertatis imperfectionem arguens, & à bono deficiẽtiam: proindè Angelica libertas & humana; quæ sunt vt Diuinæ libertatis imagines quandiù vertibilitatem illam & mutabilitatem in deteriùs habeat, minùs perfecta sunt illius archetypæ libertatis vestigia; cùm verò sublata fuerit à volũtate illa vertibilitas in deteriùs indulta gratia* Diuina, *quemadmodùm nunc est in Angelis, & post assumptionem ad gloriam erit animabus humanis: tunc sanè perfectior erit libertas & suæ veritati, atquè exemplari; scilicet Diuinæ libertati similior*. Video vulgum modernorum aspernari hanc auctoritatem, vt potè Doctoris Parisiensis, quasi præpter

Hif-

Hispanias non sit doctrina: sed audiatur D. Bernard. quid ante Iodocum dixerit iuxta hāc doctrinā in illo tractatu de gratia, & libero arbitrio. *Si poterit homo aliquando* (inquit) *aut omninò nihil velle, aut velle aliquid & non voluntate, poterit & carere libertate voluntas &c.* Ac si diceret, primum est impossibile, secundum impossibilius, tertium supra impossibile. Item ibidem aliàs: *Potest quidem mutari voluntas, sed non nisi in aliam voluntatem, vt nūquàm amittat libertatem.* Iterùm adhuc: *Manet ergo libertas voluntatis, ibi etiam sit captiuitas mentis, tam plena quidem in malis, quàm in bonis, sed in bonis ordinatior; tàm integra quoquè pro suo modo in creatura, quàm in Creatore, sed in illo potentior.* Ab hac sententia nō discedit D. Ioannes Damascenus libro de duabus Christi volūtatibus, dicens: *Cùmquè natura Diuina & peccare non possit, & sit libera voluntas; non tamen mutabilis est, sed immutabilis: quòd si natura Diuina eiusmodi voluntate est prædita, vt nec peccatum, nec mutatio in eam cadere possit, cùm interim sit libera &c.* Cum his sentire malo, quàm cum modernis, qui rationes & auctoritates parui faciunt, communē solummodò quēdam plausum vsu receptum sequentes. Hunc videamus pro tertio, quid in oppositū adfertur, & obiectis respondeamus.

PROPOSIT. XV.

Arguitur pro affirmatiua.

Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa c. 22. *Creatura rationalis vertibilis est secundum electionem; ex eo enim libera est, quòd eligere potest*

test, vel recusare. Notanda est ea causalis, *ex eo*, & illa, *enim*; ergo dempta indifferentia, & indeterminatione, non est libera &c.

Respõdeo primò; Damascenum loqui de voluntate, non vt est voluntas abstrahendo à voluntate creata, & increata vt patet: Conclusio verò nostra loquitur & intelligitur de voluntate in se, nõ de voluntate creaturæ rationalis, vt loquitur Damascenus; & vtiquè concederem voluntatem creatam esse liberam, quia indifferentem. Meliùs tamen secundò respondeo, quòd ex sententia Damasceni voluntas priùs est libera, quàm indifferens, vt visum est: ex indifferẽtia tamen agnoscitur eius libertas; itaquè notæ illę causales non denotant effectum per suam causam; sed inferunt causam per suum effectum: indifferentia enim actiua est, tanquàm effectus solius libertatis.

Pretęreà D. Bernardus de gratia, & libero arbitrio: *Porrò voluntas* (inquit) *est motus rationalis, & sensui præsidens & appetitui.* Habet sanè quòcũquè se voluit semper rationem comitem, & quodammodò pedisequam: est verò ratio data voluntati, vt instruat illã, non destruat; destrueret autem, si necessitatem ei vllam imponeret, quominùs liberè pro arbitrio se se vellet: si (inquã) horum quodlibet prohibẽte ratione voluntas non posset, volũtas non esset. Vbi quippè necessitas iam, non volũtas; ergo sublata indifferentia voluntas non esset libera. Probo consequentiã: sublata indifferẽtia, voluntas pro arbitrio suo non volueret se se; ergo sublata indifferẽtia non esset voluntas, ergo nec libera &c.

Ref-

Respondeo ibidem, paulò inferiùs; dicit D. Bernardus, quòd voluntas libera non esset: *Si necessitate* (ait) *absquè consensu propriæ voluntatis*; vbi constat de mente ipsius, quòd consensus volũtatis sufficit ad libertatem, & non requiritur indifferentia. Quin etiam secũdum ipsum dicitur libera volũtas, & quòcunquè libuerit se voluens, quia consentit: quis nesciat modò consensum cadere sæpè in re determinata, minimèq; indifferenti? Nihil habetur cõtra nostram conclusionem ex his verbis de mẽte D. Bernardi, potissimè stantibus supradictictis &c.

Præterea Damascenus tractatu de duabus Christi voluntatibus: *Voluntas* (inquit) *est mentis imperatricis liber motus*. Sed quomodò dicenda esset mens imperatrix, si iam esset ad vnum deter minata, & non indifferens? Certè si serua non est dicenda, nequè imperatrix.

Respondeo, est imperatrix per se; & determinata per accidens, hoc est accidit voluntati, vt sit determinata ad vnum & non indifferens: nam si esset indifferẽs & indeterminata ad extrema contradictionis, ex sua perfectione se determinaret ad hanc eandem partem, ad quam nunc est determinata; id autem quod competit ei per se, non est auferendum ab ea, si copuletur cum aliquo per accidens. Vt si aliquis ex sua voluntate absquè grauitate mouente posset se mouere ad descensum; dato quòd vellet se præcipitare, & assumeret pondus supra se: is non diceretur non liberè se præcipitare, immò liberrimè; quia ex se solùm posset ferri deorsum, & accidit illi motui assumptio ponderis &c.

Præterea liberum arbitriũ secun-

ſecundum communem ſententiam eſt in Deo, & in nobis ſtante hoc preſuppoſito concedendo, arguo ſic: Iudicium rationis eſt æquè illuminatum ſicut & arbitrium voluntatis, quare ergo non datur iudicium liberũ rationis, ſicut datur arbitrium liberum voluntatis? Non eſt hìc alia differentia inter vtriuſquè illimitationem, niſi quòd illimitatio iudicij eſt ad omnia, ſed non indifferenter ad cõtradictoria: nam ſi apprehendit veritatẽ vnius partis, iudicat alteram partem determinatè eſſe falsã; non ità voluntas, ſed ſic eligit vnum extremum cõtradictionis, quod æquè benè poteſt eligere & alterũ, ideò dicitur libera: & quid eſt hæc facultas eligẽdi contradictoria, niſi indifferentia quædam.

Reſpondeo cum Alexandro Alenſi parte 2. qu. 72. memb. 2. artic. 3. §. 4. quòd Iudex & arbiter in hoc differunt, quòd Iudex tenetur iudicare ſecundum leges, aliterq; iudicando, iniuſtè iudicat: ſed arbiter eſt Iudex electus à partibus, ad cuius ſententiam ſtare conſtituuntur; ſi ergo arbiter definiat contra ius, non tamen iniuſtitiam facit, & ſi iudicat ſecũdum leges non ex hoc amittit rationem arbitris. Ad argumentum ergo dico, quòd non datur iudicium liberum rationis, quia iudicium rationis sẽper reſpectu cuiuſcunq; obiecti eſt determinatum ad vnum: ſed arbitrium aliquandò eſt determinatũ, aliquandò indeterminatum; aliquandò indifferens, aliquandò non: ideò ſi contingat ipſum ſequi vnam partem determinatè, non deſinit eſſe liberum, immò determinatio ſibi accidit & negatio indifferentiæ ſimili-

ter sibi accidit &c. negatio verò indifferentiæ, & indeterminatio non accidunt iudicio rationis; nam si opponatur hæc propositio intellectui, paries est albus statim iudicabit ipsam esse veram: si ponatur à parte rei id, quod significatur per propositionem, sin minùs iudicat ipsã esse falsam, nec potest esse sibi neutra; nempè scita, vel ignota.

Pretereà omnis actus liber est laudabilis, vel illaudabilis: sed actus, qui non est à voluntate indifferenter se habente, vel indeterminata non est laudabilis, neq; illaudabilis; ergo non est liber, ergo libertas requirit indifferentiam, & indeterminationem.

Respondeo, negatur minor concessa maiori, & datur instantia: nam Deus dicitur laudabilis, quia bonus, & tamen non est indifferens ad bonitatem & ad oppositum. Item si homo hominem innocentem damnaret ad ignem, iniustè damnaret, & esset illaudabilis: Deus autem etiam si D. Petrum in ignem æternum truderet, nõ esset illaudabilis, sed laudabilis; ergo actus non dicitur laudabilis aut illaudabilis, quia indifferens, & sic patet &c.

Prætereà libertas voluntatis nunc communiter exprimitur per indifferentiam, & communis schola Theologorum tenet eam consistere in indifferentia; ergo saltem nunc hoc negarem, temerarium est.

Respondeo, nego maiorem seù antecedens, vt melius loquar, quò ad vtramq; partem; exprimitur quidem sic libertas voluntatis createę pro statu viæ, & de ipsa disputant contra hæreticos prę-sertim contra Lutheranos; sed

ſed volũtas vt ſic accepta eſt volũtas cum imperfectione, qua euacuari poteſt. Concluſio noſtra loquitur de voluntate pręſcindẽdo à ſtatu vię, & ab imperfectionibus; ideò conſequentia non includit contra nos nequè temeritatẽ, nequè falſitatem &c. Hinc ipſe Franciſcus Suarez in primo Opuſc. cap. 1. diſtinguit libertatem Diuinam à creata; quòd illa maneat cum ſumma determinatione, hęc non. Item dicit D. Thomam & nonullos ex Patribus patrocinari ſentẽtiæ affirmanti, omnem actum perfectè volùntarium dici liberum, tametſi minimè eſſet indifferens: ſed quia hæreticis eſt familiare loqui de voluntate noſtra ſecundum rationem huius ſtatus; ideò hac difficultate dimiſſa tanquàm ſufficienter explicata, ad alias difficultates progrediamur.

DIFFICVLTAS II.

Vtrùm libertas eſſentialis voluntati, vt voluntas eſt, ſit conſtituenda in immunitate à coactione, & in facultate determinatiua ſui ipſius, non tamen in altero iſtorum præciſè?

TEneo partem affirmatiuam huius queſtionis, vt probabo, dimiſſis omnibus præambulis; quia pręcedentia ſufficiunt. Probo igitur cõcluſionem affirmatiuam primò auctoritatibus.

Damaſcenus 3. de fide orthodoxa cap. 14. *Enimuerò* (ait) *cùm voluntatem dicimus non eam coactam, ac neceſſitate conſtrictam dicimus, ſed liberam: Nam ſi rationis particeps eſt, vtiquè & libera; nequè enim ſolùm Diuina, & increata natura nihil coactum habet, ſed nè intellectualis*

quidem, ac creata &c.

Iodocus etiam ille Clictoueus Doctor Parisiensis, Damasceni Commentator versatissimus in officina theologica eiusdem Damasceni Commentario ad 22.c.lib.2 de fide orthodoxa inquit: *In Diuina quoq; voluntate summa libertas, quia quidquid agit non alterius impulsu, aut adactione; sed sponte in sua, atq; beneplacito suo bonitatis agit, summamquè habet in cunctis operibus suis complacentiam.*

Irenæus lib. 4. aduersus hæreses cap.71. *Aliud autem* (inquit) *quod ait: Quotiès volui congregare filios tuos &c. veterem legem libertatis hominis manifestauit; quia liberum eum fecit Deus ab initio habentem suam potestatem, sicut & suam animam ad vtendum scientia Dei voluntariè & non coactum à Deo &c.* Subaudi coactione phisica &c.

Genesis etiam 4. dicitur: *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Sed quomodò appetitui dominatur; an non ex se natura sibi conuenientia naturaliter appetit? Quis cohibere potest naturales inclinationes nè inclinet, & passiones nè patiamur: cohibentur tamen quando voluntas non complacet, & liberè consentiendo passionibus illatis à causis naturalibus liberè patimur; & qui audit blasphemantē, si detestatur, & nollet eum audisse, & dissentit illius blasphemiæ, dicitur dominari suo appetitui, licèt non possit prohibere aures nè audiant.

Augustinus 5. de Ciuitate Dei cap. 10. *Necesse est enim* (ait) *vt homo quidquid vult, libero velit arbitrio; & tamen non propterea liberum arbitrium ponitur sub necessitate tollente libertatem, nam illa necessitas, de qua dicimus: necesse*

necesse esse hominẽ liberè velle non solùm non facit, vt opera liberi arbitrij non sint libera; sed cogit, vt sit libera &c. Hìc patet, quòd Diuus Augustinus duas necessitates considerat, quarum vna pugnat cum libertate, & hæc est necessitas violentiæ, seù coactionis citra controuersiam alia non repugnat cum libertate; sed est ei compossibilis &c. ergo in illius immunitate consistit.

Bernardus serm. 8. in Cãtica: *Ita anima* (inquit) *miro quodam modo, ac malè libera necessitate, & ancilla tenetur, & libera; ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisquè miserum est eò rea, quò libera, eòquè ancilla, quò rea; ac per hoc eò ancilla, quò libera.* Idem de gratia & libero arbitrio. Ex hac ergo tantùm libertate, qua liberum est voluntati seipsã iudicare vel bonam si bono, vel malam si malo consenserit; quippè quæ in neutro nisi certè volendo consentire se sentit liberum arbitriũ credimus nominari.

Ambrosius in cap. 4. Lucæ ad illa verba: *Mitte te deorsum. Nam qui relictis* (ait) *cælestibus eligit terrena, volũtarium quoddam præcipitium vitæ labẽtis incurrit &c.* Concurrit hoc dictum cum similitudine Scoti de præcipitante se, qui liberè dicitur descendere, quãdiù manet eius libera acceptatio præcipitij; tametsi motus ille sit naturalis. Et Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 25. *Relinquitur igitur hominem* (inquit) *ipsum agentem & facientem principium esse propriorum operum, & potestate, arbitrioque liberũ &c.*

Vnum est necessariò probandum, sine quo insufficienter esset probata cõclusio,

ſio; videlicet, quòd non cõſiſtat libertas in ſola immunitate à coactione. Pro hac particula fauet Conſtitutio Pij.V. à Gregorio XIII. innouata, quam citat Bellarminus lib. 3. de gratia & libero arbitrio cap. 5. in ſuis controuerſijs tom. 4. vbi damnatur hæc propoſitio, ſola violentia repugnat libertati hominis. Requiritur ergo vltra negationem violentiæ, quod voluntas ſit determinatiua ſui ipſius &c. Probatur ſecũdò tota concluſio ratione, quò ad vtramquè partem &c.

Voluntas eſt potentia nõ paſſiua tantùm, ſed etiam actiua. Hanc propoſitionem facilè probarem, ſi opus eſſet, ſed cũ Catholico ipſam ſuppono: ſed potentia paſſiua in pluribus immunis eſt à coactione, quę tamem non eſt libera; ergo libertas non cõſiſtit in ſola immunitate à coactione, ergo in actiuitate immuni à coactione conſiſtit, & cum hoc in aliqua alia facultate, quam non eſt aſſignare, niſi aſſignetur virtus, vel facultas determinãdi ſemet ipſam ex ſemet ipſa &c.

Bruta multa agunt non inuitè, nec coactè; quæ tamen liberè non agunt; ergo voluntas vltra negationem coactionis aliquid aliud includit: probatur conſequentia. In quo enim voluntas ſuperaret appetitum ſenſitiuum brutorum, quot autem efficiunt bruta non coactè, planum eſt; ſi quis animaduertat ſimias imitantes humanos actus, & feras ex induſtria (vt ità dicam) feris inſidiantes, in quorum obſeruatione vix ſapientes non hallucinãtur, non exiſtimando actus earum procedere à deliberatione: immò ſententia multorum eſt huiuſmodi

ani-

animalia operari ex deliberatione, ſed non vndequàquè plena; & ex modernis non deſunt, qui propterea teneant imperfectè eſſe libera.

Preterea omnis potentia actiua aut eſt naturalis, aut violenta, vel libera; prima ex ſua forma eſt determinata ad vnum, ſecunda eſt determinata ad vnum (ſed non ex ſe) verum à mouente, tertia diſtinguitur à prima: ergo erit ex ſemetipſa determinatiua ſui dēpta coactione, & natutalitate; ergo in his duobus ſtat ratio ſuæ libertats &c.

Præterea ſi ſola immunitas à coactione ſufficeret ad libertatem voluntatis, Ariſtoteles & alij Philoſophi gratis reprehenderentur à Theologis in eo; quòd dixerunt primam cauſam agere ad extrà neceſſariò, dicerent enim illam neceſſitatē non violare libertatem voluntatis.

Præterea quæſtiones inter Manichæos, & Lutheranos, atquè Catholicos eſſet de ſolo nomine: cum per Lutherum non habeatur, quòd Deus quidpiam inuitè faciat ad extrà; dicerent ergo, quòd faceret etiam liberè. Item liberum, meritò diceretur eſſe liberum tantùm titulotenùs.

PROPOSIT. XVI.

In oppoſitum arguitur.

SPiritus Sanctus producitur liberè ſecundum Scotū in primo diſt. 10. q. vnica, ſed voluntas ibi non eſt libera niſi per immunitatem coactionis; ergo hæc ſola ſufficit ad libertatem.

Reſpondeo, negatur minor; vbiquè enim Scotus loquēdo diffinitiuè de liber-

rate

tate, vult eam consistere in facultate se determinandi, & consequenter in productione Spititus Sancti est sui determinatiua: verum est tamen, quòd propter summam necessitatem in essendo personæ Diuinę productæ non possunt non produci, sed hęc necessitas per accidens coniūgitur illi summæ libertati; nam si per se illi coniungeretur, nullibi reperiretur necessitas absquè cōsortio libertatis, nec libertas sine cōsortio necessitatis. Est ergo voluntas Dei in productione Spiritus S. libera plena libertate, quia non coacta; & quia ex se determinata ad producendum: & si argumētum hoc concluderet, concluderet etiam, quòd Pater generat Filium; quia non coactus, immò complacenter &c.

Omne volūtarium est liberum, saltem in via Scoti: sed aliquod est voluntarium quod solum nō est coactum; ergo probatur minor. Volūtas in volenda beatitudine, & in fugienda miseria determinatissima est, sic vt non possit in oppositum: quis enim diceret voluntatem refugere à beatitudine, & amplecti summam saltem miseriam; patet hoc etiā ex auctoritate Augustini in Enchyrid. 14. sic enim beati esse volumus, vt miseri esse non solùm nolimus, sed nequaquàm velle possimus.

Respondeo vt suprà, negando minorē: ad probationem dico, quòd ideò voluntas volendo beatitudinem & fugiēdo summam miseriā libera est, quia ex sua essentiali perfectione se determinat ad illa quidquid hìc dicant alij; nimirùm quòd naturaliter velit vltimum finem, & naturaliter fugiat summam miseriam. Aliqui etiam di-

sti
r.-

ſtingũnt volũtarium à libero allegantes Ariſtotelem 3. Ethic.cap.4.& 5.dicẽtes volũtarium eſſe quidquid prouenit à voluntate,quomodòcunquè proueniat; liberum autem id ſolùm,quod ſequitur electionem : quorum sẽtentiam non impugno, ſi loquuntur de libertate cum imperfectione; ſi autem loquantur de libertate vt libertas eſt, de voluntate vt voluntas eſt,inter voluntarium ac liberum non diſtinguo.

Prærerea in eo pręcisè ſtat libertas, quo dempto cæteris manentibus,ipſa non manet; & quo poſito, ipſa ponitur: ſed dempta immunitate coactionis non ſtat libertas, eaque poſita ponitur; ergo in ipſa huiuſmodi immunitate &c.

Reſpondeo,maior eſt vera in cauſis præciſis tantùm, vt cauſa riſibilitatis in nobis non eſt rationalitas præciſa ratione animalis; nec ratio animalis præciſa rationalitate, nec in eclypſi interpoſitio terræ inter Solem & Lunam eſt præciſa cauſa defectus luminis, ſed cum ipſa interpoſitione etiam perſpicuitas aſtri : hinc aliud corpus opacum,vel non perſpicuum ſaltem,non eclypſaretur in propoſito ſola immunitas à coactione nõ eſt pręciſa ratio libertatis.

Præterea, & eſt contra reſponſionem : Si daretur, quòd voluntas ſe determinaret,& cum hoc cogeretur; voluntas non eſſet libera,ergo libera eſt præcisè, quia non eſt coacta,ergo ſola immunitas à coactione &c. Quòd caſus poſitus ſit poſſibilis, probatur à ſimili:graue ſecundum ſuam naturam in via Scoti mouet ſe ipſum deorſum, ſi tamen deferatur ab alio deorſum; non negatur, quòd motus ille ſit ſibi

naturalis : negaretur tamen, si stante sua grauitate eleuaretur ; ergo & voluntas coacta non vellet liberè ex hoc solo, quòd careret sua immunitate .

Respondeo, casus positus est impossibilis: quòd enim determinat se phisicè etiam ex consequenti est immune à coactione, ad prolationem dico ; quòd similitudo hìc non tenet, quia lapis determinatur ad motum deorsũ à suamet forma, ità videlicet quòd recipiendo talem formam recipit principium determinatissimum ad mouẽdum se præcisè deorsum: at natura rationalis cùm recipit voluntatẽ, recipit principium non determinatum, sed determinatiuum sui ipsius ; quantùm differànt ista duo, nimirùm esse determinatum, & esse determinatiuum , manifestum est &c. Ideò lapis sursũ versus mouetur prætẽr naturam suam, quia mouetur præter modũ sibi à natura prefixum : at volũtas si se determinat cogi non potest, quàmuis etiã ex sua sibi necessaria perfectione in aliquid necessariò tenderet; sufficit enim, quòd se ipsum determinet .

Prætereà sola volũtas dicitur cogi, & solùm in voluntaria dicuntur coactè fieri ; ergo in sola negatione coactionis videtur esse constituta libertas .

Respondeo, negatur consequentia concesso antecedente, quia vbi ad effectum necessariò concurrunt plures causæ, per defectum vnius earum tantùm impeditur ille effectus . Sic est in proposito .

Sic dicatur , ad quid ergo ponuntur vt duo distincta , immunitas à coactione , & vis determinatiua sui ipsius? nonnè id quod est sui determina-

minatiuum, est etiam immune à coactione, non est concessum hoc superiùs in responsione ad quartum?

Respondeo, distinguntur eo modo, quo prius ac posterius: si enim prius stare potest sine posteriori, sed nõ è conuerso; & tamen sunt distincta, ità immune potest dari aliquid à coactione, quod non erit sui determinatiuum, & tale non erit liberum, vt graue descendens: sed è conuerso non potest dari quidquam sui determinatiuum, & coactioni subiectum.

DIFFIC. III.

Vtrũ libero arbitrio creato puri viatoris, siuè hominis, siuè Angeli est necessaria indeterminatio ad cõtradictoria.

PArtem affirmatiuam teneo tãquàm veritatem de fide tenendam, quam ad aures Scoti sic esse tenẽdam suo loco probabo; & de mẽte eiusdem oppositum reijciam.

Sed primum vnum animaduertendum declarabo, secundò conclusionem affirmatiuam probabo, tertiò eãdem probabo per principia Scoti, quartò oppositam partem rationibus eiusdẽ Scoti reijciam, quintò & vltimò argumẽta in oppositum adferam singulis singillatim respondendo, nec inutiliter eadem repetam.

Quò ad primum animaduertendum, quòd non dixi; an indeterminatio sit essentialis libero arbitrio, sed an sit necessaria: multa enim sunt necessaria, quæ nõ sunt de essentia rei, talis est indeterminatio respectu liberi arbitrij creati. Contrahitur enim libertas, & restringitur eius conceptus, dum consi-

deratur in homine, vel in Angelo; multòquè magìs contrahitur, & restringitur eius conceptus, dum proponitur consideranda in istis conformiter ad statum viæ, vbi multa contingunt, quæ non contingunt in statu patriæ: & ideò liberum arbitrium hìc aliter se habet, quàm se habeat, vel sit se habiturum in patria; cùm tamen eius essentia minimè varianda sit per varietatem statuum, sicut essentia hominis sani & infirmi non variatur substantialiter per varietatem ęgritudinis & sanitatis: sicut ergo homini infirmo ratione status infirmi, & ipsiusmet infirmitatis multa necessariò contingunt; ità libero arbitrio creato viatoris multa cõtingunt necessariò, quæ non contingerent ipsi vt liberum arbitrium est, vel saltem vt sanatum est à Deo.

Duplici autem infirmitate laborat liberum arbitriũ, altera est naturalis, & altera culpabilis: prima consequitur naturam finitam vt finita est, secunda consequitur naturam vt vitiata est in primo Parente; indeterminatio est infirmitas, vel saltem includit infirmitatem consequentem naturam, nã ideò creatura est indeterminata ad eligendum bonum, vel sibi malũ; quia creatura est, & perfectionis finitæ. Deus autẽ quia est natura increata & perfectionis infinitæ, nihil nisi bonum; immò quidquid vult, bonum est, ac in tantũ est bonum (loquendo de volitis ad extrà) in quantùm ab eius perfectissima voluntate volitum est: propensio verò illa ad malum, quam experimur in nobis, est infirmitas consequens naturam peccato originali vitiatam; homo enim consideratus in puris naturalibus antequàm iustitiam

tiam intelligeretur accepisse, vel si iustitia originalis ponatur distincta à gratia sanctificante,in tali (inquam) statu per liberi arbitrij vires magìs inclinabatur ad virtutes, quàm ad vitia: & magìs se determinasset ad bona, quàm ad mala; ità senserunt Magister in 2. sent. dist. 28. & D. Bonauentura ibidem, ac S. Thom. prima secundæ quæst. 109. art. 2. & 6. necnon Durandus eadem dist. quæst. 2. & alij plures; hinc Concilium Tridentinũ sess. 6. cap. 5. vocat liberum arbitrium in hoc statu attenuatum, & viribus inclinatum.

PROPOSIT. XVII.

In qua concluditur indeterminationem esse necessariam libero arbitrio viatoris.

Nunc cõclusionem pono,& semel pro semper me declaro locuturum in præsenti Propositione de libero arbitrio viatoris puri, excludẽdo humanitatẽ Christi;quia ille homo etiã quando erat nobiscum passibilis, non fuit purus viator. Excludo etiam B. Virginem Mariam, ac insignes quosdam Sanctos in gratia confirmatos ante mortem, & quod assumpsero in probationibus cæteris paribus indifferenter valiturum protestor pro libero arbitrio hominis, sicut & Angeli, antequàm confirmarentur in gratia,durante spatio viæ: *Posuit enim Deus* (inquit Irenæus lib. 4. cap. 71.) *in homine potestatem electionis, sicut & in Angelis.* Ex qua auctoritate simul argumentor sic: potestas electionis est ad contradictoria; ergo libero arbitrio creato necessaria est: probatur consequentia; necessariò conuenit homini, quòd à Deo da-

tum

tum est homini (nō quidem necessitate simpliciter, sed necessitate ex suppositione, ac necessitate illa, de qua Philosophus: omne quod est quando est, necesse est esse) sed viator, dùm est viator, & habet voluntatem, ac respectu multorū ignorat; quid sit melius, quid peius: quid bonum, quiduè malum; ergo necessariò eius voluntas est indeterminata.

Præterea si voluntas ex ratione status viæ non esset indeterminata, Deus frustrà dedisset consilia, & Apostolus stultè dixisset de virginibus: *Præceptum Domini non habeo, consilium autem &c.* Et rursùm de viduis, ne iterùm nubant, ineptè dixisset: *Beatior tamen erit, si sic permanserit secundum meū consilium &c.* Consequentiam probauit Philosophus in lib. Periherm. cap. de futuris cōtingentibus: *Si omnia de necessitate conueniunt, ad quid negotiari?* Idem sequitur hìc; si liberum arbitrium viatoris est determinatum ad vnum, consilia ad quid dantur, exhortationes ad quid deseruiunt?

Si liberum arbitrium nō esset indeterminatum; rationes Celsi, contra quem arguit Origenes lib. 2. optimè concluderent: concludebant autem, quòd Deus eò necessitatis adduxisset suos Discipulos, vt facerent contra ius & pietatem; vt Petrum, quòd negaret Christum: Iudam, quòd proderet; cęteros, quòd relicto eo fūgissent, & quòd concluderent probo. Quæ Deus prædixit, necesse est impleri: Deus prædixit Petrum negaturum Christum; ergo necessariò Petrus ipsum negaturus fuisset: Si autem ponatur Petrum indeterminatum fuisse ad negandum, & ad confitendum Chri-

Christum; argumentũ Celsi non concluderet, quia diceretur Celso, quòd Deus prędixit eo modo, quo præsciuit Petrum negaturum, & non Petrum ideò negaturũ, quia hoc Deus prędixisset. Nec valet dicere, quòd ex parte Dei erat contingentia, quia Deus non prædixit necessariò, sed contingenter; ideò Petrum non necessariò fuisse negaturum, quia & si hoc verum sit, tamen Celsus persisteret in sua propositione, nimirùm quæ Deus prędixit, necesse est impleri.

Pręterea quod competit omni, & semper est illi necessarium, indifferẽtia & indeterminatio competit omni viatori, vt viator est, ac semper dum est viator; ergo si non esset homo indifferens, & indeterminatus ex ratione necessaria status vię, frustrà dictum esset: *Deus creauit hominem, & reliquit eum in manu cõsilij sui.* Adiecit mandata & pręcepta sua, aiens: *Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere; apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrigere manum tuam*. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi: ad quid enim apponeretur ignis & aqua, si ad alterum istorum determinatus esset? Quid clarius, lege illa Numerorũ lib. 1. 30. *Si vouerit* (subaudi vxor) *& iuramento se constrinxerit, vt per ieiunium vel cæterarum rerum abstinentiam affligat animam suam, in arbitrio Viri erit; siue faciat, siuè non faciat.* Et ad Corinthios, quid significat illud: *Nã qui statuit in corde suo, firmus non habens necessitatem; potestatem autem habens suæ voluntatis &c.* Quid est ista potestas voluntatis? Cùm dicitur voluntas,

luntas, non dicitur libertas; quid vltrà dicit illa potestas? certè nihil, nisi facultatem ad vtrumlibet.

PROPOSIT. XVIII.

Probatur idem ex Scoto.

SCotus in primo dist. 39. ad solutionem quinque quæstionum art. 1. circa medium, sic dicit de voluntate nostra: *Quantùm ad primum dico, quòd voluntas in quantùm est actus primus, libera est ad oppositos actus; libera est etiam mediantibus illis ad opposita obiecta, in quæ tendit; & vlteriùs ad oppositos effectus, quos producit*. Prętereà libertas habet necessariò aliquam imperfectionem annexam, quia potentialitatem passiuam voluntatis, & mutabilitatem &c. Scotus per ista duo, scilicet potentialitatem, & mutabilitatem, intendit indifferentiam, & indeterminationem; quod patet vbi inferiùs applicando ad voluntatem Diuinam, & explicando discrimen huius, & illius voluntatis dicit: *Quantùm ad primum dico, quòd voluntas Diuina non est indifferens ad diuersos actus nolendi, & volendi, &c.* Tunc ergo sic voluntas viatoris, quatenùs viator est, reduplicando non potest esse libera secundum rationem illius triplicis libertatis: sed prima libertas eius necessariò includit indifferentiam, ergo voluntas viatoris (vt viator) includit necessariò indifferentiam, ex præsuppositis verbis concluditur in prima figura.

Prætereà de ratione viatoris (vt viator est) est, quòd posit mereri: sed de lege communi nullus potest mereri, nisi cuius voluntas est indifferens, & indetermina-

ta; ergo viatori, vt eſt viator, neceſſaria eſt voluntas indifferens, ac indifferentia voluntatis. Aduerte, quòd in minori dixi de lege communi; quia Chriſtus diſpenſatiuè meruit, ac B. Virgo, multiquè Sanctorum ex ſpeciali priuilegio meruerunt, quàmuis eorum volũtas eſſet in gratia confirmata. Illa minor probatur ſecũdum ſententiam Scoti ex 2. ſent. diſt. 5. quæſt. vnic. vbi probat, quòd Angelus meruit beatitudinem, priuſquàm illam obtinuerit (dimiſſa via) tanquàm euidenti ad id probandum ait: *Ideò aliter declaro ſecundum, quia voluntas non ſimul vult mutabiliter & immutabiliter ſiue fixè, ità quòd tunc in quantùm elicit actum, poſſit velle oppoſitum; quãdo autem præmiatur, vult immutabiliter, hoc eſt in quantùm cõſideratur vt ità eliciens actum, & per conſequens vt prior naturaliter ipſo actu cõparatur ad illam: ſed quando meretur, non ſic immutabiliter vult; ſed vt eliciens actum cõtingenter videtur elicere.* Hęc Scotus ibi.

Præterea nisi voluntas viatoris eſſet indeterminata, nihil eueniret contingenter, nec oporteret conſiliari de rebus humanis; ergo voluntas eſt indeterminata. Conſequentia iſta probatur per Scotum in 2. diſt. 25. *Aliquid* (inquit) *euenit in rebus contingenter, & voco contingenter euenire, euitabiliter euenire; aliter ſi omnia ſi ineuitabiliter euenirent, non opporteret conſiliari, neque negotiari vt dicit Ariſtoteles primo Periher. quæro ergo illud, quod contingenter euenit, vndè vel à qua cauſa eueniat, non à cauſa determinata: quia pro iſto inſtanti, pro quo eſt ſic determinata, effectus non poteſt euenire contingenter; ergo à*

causa determinata ad alterutrum oppositorum. Et post multa concludit, quòd nihil est determinans ipsam voluntatem indeterminatam: primò nisi ipsamet volũtas, quæ ex semetipsa determinat se, immò nequè intellectus potest determinare voluntatem, vt probat ibi; ergo de mente Scoti indeterminatio est necessaria voluntati viatoris,

Prætereà de ratione volũtatis viatoris (vt viator est) sine speciali dispensatione, est posse peccare: sed voluntas non potest peccare, nisi vt indifferens ad extrema contradictionis, & vt indeterminata ad alterum illorũ; ergo de ratione voluntatis huiusmodi est indifferentia. Maior est manifesta, minor probatur de mente Scoti in 3. dist. 18. quæst. vnic. ad primum argumentum principale, vbi sic argumentatus erat: *Christus non potuit peccare; ergo nec mereri*. Probatur consequentia; voluntas coniuncta perfectè fini vltimo non meretur, aliter (inquit) Beati mererentur, vel si sic eadem ratione possent peccare. In responsione Scotus negat consequentiam, & dicit ad probationem sic: *Nam licèt perfecta coniunctio fini perfectè quietãs secundum omnem modum ipsum coniunctum, scilicèt secundum affectionem iustitiæ, & secundum affectionem commodi &c. Prohibeat sic mereri sicut & peccare, quia tamen affectio iustitiæ potest separari ab affectione commodi*: *per affectionem iustitiæ potuit homo ità coniungi vltimo fini, vt peccare non posset; potuit tamẽ pati, quia potuit accidere aliquid contra affectionem commodi, & illud potuit Christus ordinate velle, & acceptare, & ità mereri &c.* Sequitur

quitur ergo in bona forma, quòd voluntas viatoris poteſt peccare, quia non eſt cõiuncta perfectè vltimo fini: ſed quod non eſt ſic coniunctum, eſt indifferens; ergo voluntas non peteſt peccare, niſi quatenùs eſt indifferens.

Prætereà ſi voluntas viatoris poſſet eſſe libera, & cũ hoc determinata ad vnum, maximè eſſet determinata ad volendam beatitudinem: ſed hoc eſt falſum; ergò probo falſitatem illati per Scotum in 4. diſt. 49. quæſt. 10. *Intellectus viatoris non eſt determinatus ad ſemper conſiderandum de beatitudine; ergo nec voluntas, & probatur ibi hæc conſequentia: cauſa ſuperior, ſi de neceſsitate agit, eadem neceſsitate mouet cauſas inferiores ad agendum actiones ſuæ actioni neceſſarias; cùm ergo ad actum voluntatis requiratur apprehenſio intellectus, ſequitur quòd ſi voluntas velit neceſſariò beatitudinem, quòd determinabit intellectum ad ſemper conſiderandum de beatitudine, quod eſt falſum*. Hæc ibi Scotus, & inferiùs reſpondẽdo ad quãdam obiectionem, quòd voluntas neceſſariò nolit miſeriam; ergo neceſſariò volet beatitudinem: dicit, quòd neutrum neceſſariò reſpicit, ſed poſita miſeria per intellectum præſente voluntate, ſi voluntas erga miſeriam habeat actum, ille erit nolitio, & ſimiliter præſente beatitudine (ſi exerceat actum aliquem) neceſſariò erit actus volitionis; quia talis eſt natura iſtorum obiectorum, quòd naturaliter miſeria eſt nolibilis, ac beatitudo volibilis. Vbi aduertenda ſunt verba Scoti: *Dico ergo* (inquit) *quòd voluntas ſic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miſe-*

riam; quòd si eliciat aliquem actum circa ista obiecta necessariò, & determinatum elicit actum volendi respectu beatitudinis, & nolendi respectu miseriæ: non tamen absolutè determinatur ad vnum actum eliciendum, vel alium. En quomodò Scotus attribuit indifferentiam volũtati hìc.

Præterea diuersorum statuum humanorum, diuersus est status voluntatis: sed homo secundum statum patriæ sic debet esse beatus, vt suam beatitudinem amittere non possit; ergo & sic voluntas eius debet esse recta, vt peccare non possit: sed secundum statum vię sic homo est fœlix, vt tamen possit fieri miser; ergo & secundum voluntatem sic debet esse bonus, vt tamen possit fieri malus: & si malus est, sic eum esse oportet; vt tamẽ possit fieri bonus. Tunc prosyllogizando qui sic est bonus, vt possit fieri malus, habet voluntatem indifferentem & indeterminatam; ergo proportio illa statuum ac voluntatum probatur per Scotum quæst. 16. Quodlib. vbi considerat statum patriæ & viæ: & ad statum patriæ dicit pertinere talem libertatem, quæ secum aliquam necessitatem patitur; non tamen in statu viæ datur libertas in consortio necessitatis, & pro hac differentia statuũ adducit D. Augustinum in Enchyrid. Verba Scoti sunt hæc: *De secundo articulo principali dico, quòd cum necessitate ad volendum stat libertas in voluntate; hoc probatur primò per auctoritates, prima est Augustini*. Inquit autem Augustinus, vt ibi citatur à Scoto: *S*ic enim oportebat priùs fieri hominem (nempè in statu viæ) vt & benè posset velle & malè, nec gratis, vel frustrà si benè; nec

impu-

impunè,ſi malè. Poſteà verò (nempè in ſtatu patriæ) ſi erit, vt malè velle non poſſit, non ideò libero carebit arbitrio; multò quippè liberius erit arbitrium, quòd omninò non poterit ſeruire peccato.

Prætereà libertas viæ eſt infirmior, & minor libertate patriæ: ſed ibi eſt determinata libertas, ad volendum ſolummodò bona; ergo hìc in via erit, & eſt indifferens ac indeterminata ad volendũ bonum & malum. Minor probatur cum maiori ſimul à Scoto ibidem per ſecundã auctotitatem ſumptam ab Anſelmo de libero arbitrio cap. 1. qui ſic habet: *Quòd decet, & expedit; vt hoc amittere nequeat, liberior eſt quàm ille, qui ſic habet hoc ipſum vt poſsit perdere &c.*

Ex his omnibus locis, quę pro nunc ſufficiant, illud tantùm concludere volui; quòd Scotus de libertate voluntatis adeò catholicè locutus ſit, vt meliùs loqui nemo præſumat: Si enim contra Lutheranos ſic defenditur libertas, vt omnis ab ea neceſſitas excludatur, non diſſentit Scotus; diſputat Lutherus de libero arbitrio viatoris, ipſumquè ſeruum facit: diſputat & Scotus de libero arbitrio viatoris, ipsũquè eximit à ſeruitute per hoc, quod facit ipſum indeterminatum, & ſi in hac indeterminatione cõſiſtat dominium voluntatis ſecundũ eos. Per Scotum voluntas viatoris aſtruitur eſſe Domina ſuorum actuum, & non ponitur libertas quędam de ſolo titulo: deſinant ergo calumniatores carpere Scotũ, eiuſquè doctrinam; vel diſcant, vt intelligant: vel ſi diſcere nolint propter difficultatem, ad minùs non negligant.

PRO-

PROPOSIT. XIX.

In oppositum arguitur ex Scoto, & respondetur.

VOlūtas in Christo fuit eiusdem rationis cum nostra per Scotum in tertio dist. 17. quæst. vnic. in responsione ad primum principale: *Sed in Christo non fuit indifferens, immò determinatissima; ergo nobis non est necessaria indifferentia, vel si nobis necessaria, quare non Christo?*

Respondeo, Scotus ibi tātùm probat; quòd voluntas Christi, & nostra sunt eiusdem rationis, quò ad dominium super actus suos: sed non quò ad indifferentiam. Vel si etiam quò ad indifferentiam, non tamen in omnibus: fuit enim voluntas Christi indifferens ad velle sedere & stare, sed nō ad velle sanctificare Sabbathum, & non sanctificare; & sic fuit eiusdem rationis cum nostra in essentialibus, non autem in materialibus. Et nè frustrà proferātur loca ex Scoto, meminisse velim, Lector, verborum ipsius Scoti in 3. dist. 33. quæst. vnic. vbi quæsiuit; an virtutes morales sint in voluntate tanquàm in subiecto? Respondetquè affirmatiuè, in corpore tamen quęstionis recitat vnam opinionem, quę de mente Philosophi dicit ipsū tenere partē negantem; adducit etiam rationes inter quas hęc est vna: *Voluntas cùm sit libera, potest sufficienter se determinare; igitur non indiget alio determinante, vt habitu aliquo*. Ad quod argumentum respondēdo dicit Scotus, quòd illæ rationes concludunt oppositum; cùm quia voluntas est rectificabilis respectu propriæ operationis, & non est de se recta; tùm quia est inde-

deter-

determinata, & determinabilis non minùs, quàm intellectus, à quo non negatur habitus &c. Desinat igitur opponēs adducere loca Scoti cōtra hanc determinatam & cōclusā propositionē, dum constat de eius sententia.

PROPOSIT. XX.

In qua ex aliorum officina arguuntur & soluuntur argumenta.

ALiter arguitur sic Exodi cap. 11. *Aegyptij à Deo impulsi dederunt pretiosa Hebræis,* quę nunquàm spōtè dedissent; ergo eorum libertas non erat indeterminata.

Respondeo, voluntas loquitur rationem non cogentem, sed ostendentem: ratio verò non est conscia omniū contingentium futurorum, in supradicto casu Deus infudit Aegyptijs spiritum beneuolentiæ erga Hebræos, vt pręstarent eis pretiosa, & non manifestauit fugam Hebræorum; & ità coegit non quidem determinando eorū volūtatem ex se tantùm, sed non reuelādo fugam, quam si præsciuissent, non accommodassent eis pretiosa.

Prætereà Genesis 43. dixit filijs suis euntibus secundò in Aegyptum: *Det vobis Deus inuenire misericordiam coram Viro &c.* Quomodò hoc diceretur, nisi Deus determinaret voluntates hominum?

Respondeo, voluntas indeterminata potest flecti in vnam determinatam partem precibus humanis, non quidem phisicè, sed moraliter: multò magis potest flecti per Diuinam gratiam, Deo infundente benignitatem, & hoc postulabat Iacob; non vt Deus determinaret phisicè

cè voluntatem Ioſeph, deſtruendo omnem libertatem.

Prætereà vt Saul prælia-retur contra Ammonitas dicitur 1. Reg. 11. quòd *Irruit ſuper eũ ſpiritus Domini &c.* Irruere ſignificat quandam vim, & ibi vim in animo Saulis; ergo determinata fuit eius voluntas ab irruente illa vi Diuina, ergo ſine indeterminatione libera eſt volũtas.

Reſpondeo, irruere ibi ſignificat vim ſpiritus Dei; id eſt zelum vehementem, quo incitatus fuit moraliter, non phiſicè ad prælium contra Ammonitas.

Prętereà 2. Reg. 17. habetur; quòd Deus effecit, nè Abſalon ſequeretur conſiliũ Architophel: efficere, eſt determinare phiſicè &c.

Reſpondeo ad hoc, & ad ſimilia, quòd quando Deus vtitur cauſis ſecundis, dicitur efficere, & habet ſe vt cauſa phiſica; determinat tamen accommodãdo ſe modo cooperandi voluntatis liberę: futurum enim erat (vt euẽtus probauit) quòd Chuſai rationibus perſuaderet Abſalon, nè ſequeretur conſilium Architophelis, ac peſſima eius conſilia refutaret, per quam confutationẽ Abſalon moueretur ad diſſentiendum Architopheli; ideò ſacra Scriptura ſic loquitur: *effecit*, quia non immediatè per inſpirationem; ſed mediante ratione, & ſermone hominis Deus flexit voluntatem Abſalonis indeterminatam ante actum elicitum.

Prætereà Iſaiæ 26. *Omnia opera noſtra in nobis operatus es, Domine.* Item Math. 10. *Vnus paſſer non cadit in terrã ſine Patre veſtro.* Item Romanorum 11. *Quoniam ex ipſo, & in ipſo, & per ipſum ſunt omnia.* Item 1. Corinth. 12.

Omnia

Omnia in omnibus operatur &c. Item Ephes. 1. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ &c.* Ex his habetur, quòd non se determinet viator; sed à Deo determinetur.

Respondeo his auctoritatibus nihil aliud cōcluditur, nisi quòd Deus nobiscum cooperatur: sed eius cooperatio non est phisica determinatio; sicut ad expeditionem militarem Senatus & Consilium cooperatur, non tamen phisicè, sed deliberādo, ordinando, consiliū præbendo &c. suadendo igitur & reuelando futura contingentia, quæ naturaliter scire non possumus: dicitur Deus operari in nobis, & secundū consilium voluntatis suæ, quia bonorum omnium est Auctor, sed nō talis effector; quinimmò semper Deus in omni determinatione nostrę voluntatis, determinat cum cōnaturali modo creatæ voluntatis, qui modus est operari liberè.

Prætereà Ierem. 10. *Scio Domine, quia non est hominis via eius, nec viri vt dirigat gressus eius.* Et Prouerb. 16. *Cor hominis cogitat viam suā: & Dominus dirigit gressus eius*; ergo contranititur determinationi voluntatis.

Respondeo, aliud est deliberatio voluntatis, & aliud executio voluntatis; libertas est in deliberatione, non in executione: sæpè accidit hominem proponere, & Deum disponere oppositū, vt constat de Balaam, qui proposito maledicendi accesserat; in executione verò benedixit. Prefata loca intelliguntur in hoc sensu, quòd executio sequatur Dei voluntatē, quod patet ibidem Prouerb. 16. vbi dicitur: *Hominis est præparare cor, Domini autem gubernare linguam &c.* Idē dicen-

cendum est de similibus.

Præterea 1.Regum.2. de filijs Heli Sacerdotis dicitur: *Non audierunt vocem Patris sui, quia voluit Dominus occidere eos*. Locus iste expressissimus est.

Respondeo, est Regula quædam ad intelligendã sacram Scriptutam; quòd aliquandò fieri, vel dari aliquid dicitur, quando illud innotescit, & quia per inobedientiam filiorũ innotescit mors: ideò dicitur eos non audisse vocẽ Patris, quia voluit eos occidere, ac si diceretur, sua inobedientia innotuit, quòd Deus voluit eos occidere; nec est inconueniens, quòd per inobedientiam sit manifestata eorum occisio, qua Deus propter peccata præuisa damnat ad pœnas. Secundò est alia regula, quòd coniunctio causalis (cuiusmodi est hæc) quandoq; significat causã à priori, quandoq; autem à posteriori; loco citato significat causa à priori: *Voluit occidere, quia non audierunt vocem Patris sui*. Simile est illud: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; non enim ob dilectionem remissa sunt ei peccata, sed quia remissa sũt ei peccata, ideò dilexit multum: & quia peccatrix illa contrita obtinuit veniã, ideò venit ad Christum, lachrymis rigauit pedes eius, vnguento vnxit &c. Aliquãdo etiam significat idem, quod certè vt ibi: *Benè dixisti, quia virum non habeo*; quia id est certè virum non habeo. Ità hìc non audierunt, quia &c. id est certè Dominus voluit occidere eos, non quia eorũ voluntatem determinauerit ad spernendam vocem Patris; sed quia ipsi se sic determinauerant &c. Præterea Prouerbior.21. *Cor Regis in manu Domini, quòcunquè voluerit*

luerit, inclinabit illud; non eſt locus in tota Scriptura aptior iſto ad probandum intentum.

Reſpondeo, cor Regis comparatur ibi multitudini aquarum, huiuſmodi namq; impetus coerceri nō poteſt, niſi à magna vi; ſic etiā quod placet Regi, impediri non poteſt quò ad executionem, niſi à virtute Diuina: electio tamen voluntatis à Deo minimè impediatur. Vel aliter per hanc auctoritatem non probatur, niſi quòd Deus poſſit mutare voluntatē hominum quorumcūq; etiamſi ſint Reges & cerebroſi; at nō cōcluditur, quòd eorum volūtates determinet, & faciat eligere, quod ſibi placuerit. Vel tertiò non eſt ſermo ibi de determinatione phiſica, ſed morali, quòd inſinuatur per verbum illud (*inclinabit*) vt quemadmodùm agricola diſpoſitis aquęductis nec nō canalibus, facit vt aqua per ſe ipſam fluat quàcunquè in partem voluerit; ità Deus proponendo cordi Regum bona eligibilia, & infundendo eis ſpiritum intelligentiæ inclinat eorum voluntates, vt ſe determinent ad præoſtenſa ſibi à Deo.

Præterea Auguſtin. 6. de Geneſi ad literam Cap. 15. *Conditoris voluntas, rerum neceſſitas*: ſed hęc voluntas Conditoris præcedit voluntatem viatoris; ergo voluntas viatoris ſubeſt neceſſitati rerum à Deo volitarum, ergo non eſt indeterminata &c. Item ibid. cap. 17. Hoc autem neceſſariò futurū eſt, quod Deus voluit; & ea ferè futura ſunt, quæ illæ præſciuit &c.

Reſpondeo, Diuus Auguſtinus loquitur de neceſſitate conſequentiæ nō conſequentis, cùm dicitur volūtas Conditoris pręcedit &c.

Dico, quòd præcedit & coexistit voluntati etiam viatoris, quia respectu Dei nihil est prçteritũ; sed omnia sunt prçsentia in illo suo nunc çternitatis, & sicut semper ad extrà agit contingenter, ità cooperando voluntati viatoris relinquit ipsum se determinante &c.

Prçtereà idem de gratia, & libero arbitrio c.10. *Scriptura* (inquit) *si diligenter inspiciamus, ostendit non solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis; & à se factas, in actus bonos, & vitam dirigit æternam: verùm etiam illa, quæ conseruant sæculi creaturam ità esse in Dei potestate; vt eas, quò voluerit, & quando voluerit, faciat inclinari &c.*

Respõdeo vt suprà, quòd duo asserit Augustinus; alterum est, quòd Deus est Dominus nostrç voluntatis: nõ tamen sic eius dominatur, vt nolit eam se determinare; alterum, quòd inclinat sollicitationibus, & arrhis quibusdam, vel suasionibus cõferendo dona, & solatia spiritus.

Prçtereà idem in Enchirid. cap. 30. *Libero arbitrio malè vtens homo, se perdidit & ipsum*: sed non potest se determinare, quod non est liberum.

Respondeo, homo peccãdo perdidit liberum arbitriũ, non quò ad substantiam, sed quò ad fauorabilia consequẽtia illam substantiam: nec modò habemus liberum arbitrium eo modo, quo habebatur in Paradiso: nunc enim velit, nolit, subest miseriç; tunc autem si voluisset ab omni miseria immunis fuisset. Et hçc sufficiant pro prçsenti Difficultate.

PRO-

PROPOSIT. XXI.

Intellectiua, & volitiua potentia non determinantur vniformiter.

DIcimus, quòd intellectiua, & volitiua potentia non determinantur vniformiter, nec ex obiectorum pręsentia, nec à superiori agente. Primum euidēter patet ex Scoto pluribus in locis, sed pręsertim in primo dist. 1. q. 2 sub lit. E. vbi respondens ad illud, quòd suprà de mente Henrici obiecerat; voluntatē videlicet non posse magìs abstrahere suum obiectum, quàm intellectus ostendere, ait: *Dico, quòd intellectus potest ostendere aliquod obiectum primum volūtati, & in ipso primo obiecto ostendere potest aliquod per se obiectum, sed non primum; & vocatur hic obiectum primum totum illud, ad quod terminatur actus, & obiectum per se, quod includitur per se vnitiuè in obiecto terminante primo. Vtraq; autem ratio ibi ostensa sufficit ad hoc, quòd voluntas habeat actum suū circa illud: non enim oportet, quòd voluntas velit totum primum ostensum; sed potest velle illud, quod ostenditur in illo ostenso, & etiam non velle. Exemplū ponitur tale: in Episcopatu ostenditur Sacerdotium, talis ostensio sufficit ad hoc, quòd voluntas habeat velle, vel nolle circa Sacerdotium; ità quòd ex tali ostensione possit habere circa Episcopatū, & non circa Sacerdotium: tamen non est nisi vna ostensio, & ostensio vnius obiecti primi, in quo tamen includitur aliquid vt per se obiectum.*

Et in eadē quæst. sub lit. G. determinato nō posse voluntatem ordinatè frui, natura Diuina nō fruendo personis,

ſonis: aliam mouet ibidem difficultatẽ de abſoluta poteſtate voluntatis; an videlicet ſibi ipſi dimiſſa voluntas poſſit ex innata libertate ſua frui eſſentia, non fruendo perſonis? Et ſtatim motæ difficultati ſic ipſe reſpõdet: *Tamen ibi poteſt dici, quod non eſt in poteſtate voluntatis frui ſic, & non frui ſic; quia licèt in poteſtate voluntatis ſit aliquis actus, vt ponatur in eſſe, vel non ponatur: tamen non eſt in poteſtate eius, vt actus poſitus in eſſe habeat illam cõditionem, vel non habeat, quæ naturaliter competit actui ex ratione obiecti*. Ex quibus verbis non obſcurè colligitur, Scotum euidenter ſupponere, quòd voluntas ità ex ſeipſa libera ſit in actibus ſuis; vt ad libitum ſuũ quocunque ſibi pręſente obiecto, etiam vltimo fine clariſſimè viſo, proprium actum ſuſpendere poſſit, & ſolùm in dubium reuocare: An inſuper ſit ità ex ſeipſa libera creata voluntas, vt eliciendũ actum ea libertate in obiectũ fruibile dirigere valeat; quod ad ſui beneplacitum reſtringat, limitet, & applicet illum ad hanc potiùs, & non ad aliam eiuſdem obiecti rationem amabilem. Et licèt negantem partem nitatur oſtendere, tùm ab exemplo de actu peccaminoſo, cuius productio, non autem deordinatio, libero voluntatis imperio ſubditur: tùm etiam per rationem probantem id tantùm ſubeſſe Diuinæ voluntatis arbitrio, ſicut Diuina voluntas dumtaxat poteſt ſeparare ab eodem actu, poſito in eſſe, accidens neceſſariò cõſequens illum; qualis eſt conditio, quam actus nactus eſt habere reſpectu obiecti, multipliciter appetibilis: His tamen nõ obſtantibus ſic breuiter ibi hãc

impu-

impugnat ſententiam, inquiens: *Contrà, quidquid non neceſſariò concomitatur actum, eſt in potentia voluntatis elicientis illum. Vel ſic: Quæcunquè non neceſſariò ſimul reſpiciuntur ab actu voluntatis, nec etiam ab ipſa, vt elicit actum. Vel ſic: Quæcunq; ſeparari poſſunt, vt terminant actum voluntatis, poſſunt etiã ſeparari reſpectu potentiæ, vt elicit actum.*

Patet igitur de mẽte Doctoris tantam eſſe libertatem volũtatis innatam, vt etiam vltimo fine clarè ſibi pręſente, non tantùm liberam facultatem eliciendi, vel non eliciendi volitionem reſpectu illius: ſed liberum inſuper habeat imperium ipſam elicitam ad hanc potiùs, quã ad illam appetibilem rationem obiecti; ità vt in manibus ſuis ſit frui eſſentia non fruendo perſonis, & hanc diligere aliam non amando perſonam.

Immò verò tanta ſibi pollicetur, & ſic altè præſumit voluntatis creatæ libertas, vt etiam ex intrinſecis obiectorum conditionibus ſe omninò independentem oſtẽdat; ſiquidem ſic eas interdùm in obiectis ad libitum variat, atq; commutat, vt eam (quæ propria eſt huic obiecto) cõmunicet, ac applicet alteri: quòd tamẽ ex natura rei reſpuit illam, quemadmodùm liquidò patet in voluntate inordinata, quæ ſibi creaturam pro vltimo fine præſtituit; talis namq; voluntas irreferibiliter amat creatum obiectum, cuius eſt intrinſeca conditio, vt ſemper reſpectiuè tendat in ipſum: Et ecõtrà referibiliter amat increatum obiectum, cui conuenit ab intrinſeco; vt irreferibiliter primò diligat ipſum, & hinc veritatem habet vulgatũ illud Auguſtini

pro-

pronunciatum in lib.83.qq. q.30. quòd *Summa peruersitas est vti fruendis, & frui vtendis*.

Hanc voluntatis libertatẽ euidenter insinuat Scotus in primo dist.2. q.1. sub lit.D. vbi præmisso, quòd obiectũ fruitionis in communi sit finis vltimus, vel verus, vel apparens, vel pręstitutus: *Quem scilicet voluntas ex libertate sua vult tanquàm finem, vltimò*; vt ipse inquit ibidem, & dimissa primi & secundi probatione, solummodò tertiũ membrum sic probat: *Quia sicut in potestate est velle & non velle, ità in potestate eius est modus volendi, scilicet referre, & non referre, quia in potestate cuiuscunq; agentis est agere, & modus agendi; ergo in potestate sua est aliquod bonum velle propter se, non referendo ad aliud bonum, & ità sibi præstituendo finem*. Confirmat hoc ipsum in eodem primo dist.1.q.3.sub lit. A. vbi determinat: *Quòd sicut in intellectu sunt duo actus assentiendi alicui vero complexo, vnus quo assentit alicui vero complexo propter se, sicut principio; alius verò, quo assentitur alicui vero non propter se, sed propter aliud verum, sicut cõclusioni propter principium: ità in volũtate sunt duo actus assentiendi bono, vnus quo assentitur alicui bono propter se; alius quo assentitur bono propter aliud bonum, ad quod illud bonum refertur, sicut conclusioni assentitur propter principium: conclusio enim veritatẽ suam habet à principio*. Statim paucis interpositis, duplicem assignat differentiam inter intellectus & voluntatis assensus, dicens: *Est tamen hìc duplex differentia. Prima, quia illi duo assensus intellectus distinguntur ex natura obiectorum; sunt enim alteri propter*

eui-

euidentiam alteram huius, vel illius veri, & ideò habēt distincta obiecta sibi correspondentia, & ipsas causantia. Hìc autem huiusmodi assensus non sunt distincti ex distinctione obiectorum, sed ex distincto actu potentiæ liberæ, sic vel sic acceptantis obiectum eius; quia sicut dictum est priùs in potestate eius est sic, vel sic agere referendo, vel non referendo: & ideò non correspondent istis actibus propria obiecta distincta, sed quodcunquè bonum volibile, potest voluntas habere obiectum secundum hunc actum, vel secundum illum.

Cęterùm & si creata voluntas ea libertate præsertim prædita sit, vt à nullo prorsus necessitetur obiecto quantū ad exercitium actus; hoc autem non obstante, determinatur interdum ab aliquo obiecto quantū ad specificationem illius, omni tamen necessitate seclusa. Ità contingit, si voluntati nociuum vel conueniens pręsentetur obiectum, quoniam tunc quantùmuis per actus vtriusquè suspensionem se ipsam possit cohibere, nè prosequatur hoc, & respuat illud; si tamen in huius vel illius actum prorumpere debeat, determinatè prosequetur odio primum, & amore secundum. Ità subtilissimè hanc exagitans ibi difficultatem concludit Scotus in 4. dist. 49. quæst. 9. sub lit. E. vbi sic ait: R*espondeo, quòd nec necessariò volo beatitudinē, nec necessariò nolo miseriā; igitur nolo eam, siuè nolo esse miserum. Nec sequitur, non possum velle esse miserum; quia nolle est actus positiuus nolentis, sicut & velle: & ità liberum vnum, sicut aliud, quia neutrum elicio necessariò circa quòdcunquè obiectum; & ideò possum non elicere nòlle circa malum, sicut velle circa bonū:*

tamen sicut circa malum ostensum non possum elicere actum voluntatis, nisi nolle; sic circa bonum oblatum non possum elicere actum voluntatis, nisi velle, & ideò debet sic argui. Non possum velle esse miserũ, ergo nõ possum odire beatitudinem: sed ex hoc non sequitur, ergo necessariò volo beatitudinem, quia nullum velle necessariò elicitur à voluntate. Et sub litera F. concludendo subiungit ibidem. *Dico ergo, quòd voluntas sic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miseriam; quòd si eliciat aliquem actum circa ista obiecta, necessariò & determinatum elicit actum volendi respectu beatitudinis, & nolendi respectu seriæ: non tamen absolutè determinatur ad vnum actum eliciendum, vel alium.* Id ipsum etiam asserit in primo dist. 1. quæst. 4. §. *Ad argumenta pro opinione &c.* & in 16. q. Quodl. sub lit. E.

Patet igitur de mente Doctoris, quòd licèt voluntas libera sit, & indifferens ad actus productionem & non productionem; determinatur tamen supposito, quòd elicere debeat actũ ad disconuenientis nolitionem, & ad cõuenientis obiecti volitionẽ: Sed an hæc determinatio, vel quãtũ ad velle, aut quantũ ad nolle sit respectu cuiuscunq; conuenientis, vel cuiuslibet disconueniẽtis obiecti valdè dubiũ est in via Doctoris alibi sustinentis, & maximè in 2. dist. 43. q. 2. per totum, & in 3. dist. 36. quęst. vnic. sub lit. E. §. *Contra hoc arguitur &c.* & sub lit. G. §. *Quantùm ad istum articulum &c.* posse creatam volũtatem appetere malum sub ratione malitię; similiter ergo poterit etiam bonum quatenùs bonum odisse, maximè cum in 1. dist. 1. q. 4. §.

Ad

Ad argumenta pro opinione &c. in fine articuli asserat ipse: *Quòd non est probatum, quin voluntas possit bonũ nolle, in quo nulla inuenitur ratio mali, vel defectus boni; sicut non est probatum, quin possit velle illud, in quo non conuenitur aliqua ratio boni &c.* Cæterùm qua ratione dissoluendus sit modus iste, Gordianus aliàs videbitur.

Interim dicamus voluntatem creatam alia demùm, vt ad propositum spectat, libertate gaudere ad propriũ si comparetur obiectum; ipsa siquidẽ quantùmuis odisse disconueniens, & obiectum debeat amare conueniens: ità tamen dominatur sibi producturę & actualiter producenti amorem, vel odium, vt ad libitum vtrumquè] remissè, vel intensè producere, ac vtrumquè productum intendere vel remittere valeat; quod nulla ratione nisi ex aliquo impedimento in agente naturali contingit. Ità colligitur ex Scot. in 1. d. 1. q. 1. parũ super lit. H. in responsione ad quartum principale, vbi dicit: *Quòd intellectus assentit vnicuiquè vero secũdum euidentiam ipsius rei, quam natum est de se facere in intellectu; & ideò non est in potestate illius intellectus firmiùs vel minùs firmiter assentire vero: sed tantùm secundum proportionem ipsius veri, mouentis intellectum; in potestate autem voluntatis est intensiùs assentire bono, vel non assentire, licèt imperfectiùs viso.* Colligitur etiam ex eodem 1. dist. 1. quęst. 3. sub. lit. A. & quęst. 4. in respons. ad 1. & 3. pro opinione. Colligitur etiam ex 2. dist. 6. quęst. 2. sub. lit. H. & I. ex dist. 29. quęst. vnic. parũ sup. lit. A. & dist. 34. sub lit. H. & alibi sæpè sed euidentiùs ex eodem 2. dist. 7.

quæst. vnic. sub lit. D. vbi contra Dæmonum obstinationis rationẽ ex perfectione libertatis assignatam ab Henrico, ità discurrit. *Contra secundam viam arguitur specialiter, quia sicut agens naturaliter non dominatur actui, sic nec modo agendi; & per oppositum sicut agens liberum dominatur suæ actioni, sic & modo agendi, & per consequens in potestate eius est intensè, vel remissè agere &c.*

His tamen non obstantibus posset fieri dubium, an etiam respectu finis vltimi clarè visi, prædicta intentionis vel remissionionis libertate congaudeat sibiipsi dimissa creata voluntas? Ad quam difficultatem breuiter respõdemus affirmatiuè, tũ quia deducitur euidenter ex iam citatis testimonijs; tùm quia non apparet ratio, cur magìs creata volũtas habeat in potestate sua substantiam actus: ità vt ad libitum suum elicere, vel cohibere valeat ipsum, etiam clarissimè sibi præsente vltimo fine, & non habeat sic in manu sua modum illius, vt ex beneplacito suo intra latitudinem eius intendere, vel eundem remittere nequeat actum. Tũ demùm quia quantùmuis obiecti perfectio determinet volitiuam potentiam ad amorem duntaxat, si produxerit illum, non habet tamen vndè determinet eam ad tot gradus amoris: aliter etiã obiecti creati perfectio determinaret eã vt sic; quod constat esse falsum ex citatis locis, in quibus euidenter Scotus concludit oppositum vt patet intuenti textũ illius; igitur sic bonitas obiecti creati non est tantæ virtutis & efficaciæ, vt ad sibi correspondentem amorem voluntatem alliciat: sed ad libitum potest sic, vel sic in illam tẽdere

dere creata voluntas; ità similiter omninò dicendum eſt de finis vltimi bonitate, non enim erit facilè diſparitatis rationem afferre. Confirmatur etiam hoc ex eo, quòd ſicut poteſt plus diligere creatum obiectũ, quàm diligibile ſit in ſe ipſo, vt patet in fine præſtituto; ita poterit econtrà minùs diligere vltimum finem, quàm poſſit illum amare creata voluntas.

PROPOSIT. XXII.

Docens nonnulla Documenta ad abundantiorem intelligentiam determinationis voluntatis creatæ à Deo.

AD abundantiorem intelligentiam determinationis voluntatis creatæ à Deo; accipe, quæ ſubſequuntur Documenta.

DOCVMENTVM I.

MOnemus duplicē eſſe cauſam, vt ad propoſitum ſpectat; phyſicam alteram, alteram verò moralem: phyſica cauſa eſt illa ad quam, cùm ſit propriè & completiuè cauſa, ſtatim ſequitur effectus ſemper & neceſſariò; moralis verò illa eſt, ad quam non ſemper neceſſariò ſequitur effectus. Ratio autem differentiæ, quæ inter eas inuenitur, eſt; quia cùm cauſa phyſica ſit propriè & completiuè cauſa, habet in ſuo eſſe vim immutandi alteram cauſam, verè efficienter eam transferendo ab vno in aliud, efficiendo ſcilicet vt infallibiliter operetur: ſed non niſi iuxta exigentiam naturæ cauſæ phyſicè motæ. Diſtributio hęc in cauſam moralem & phyſicam poteſt colligi ex Scoto

in

in 4.dist.1. respondendo ad quartam quæst.in 2.dist.11. quæst. vnic. responsione ad quæst. sed clariùs in 4. dist. 19.quæst.1 sub lit.C.vt exẽpli gratia, Deus dicitur causa physica quandocùnquè efficaciter immutat nostram voluntatem verè efficiendo, vt velimus: nam cum efficaci Dei motione non potest stare, quin quælibet causa operetur & agat. Et quòd dicimus deDeo,potest etiam dici de alia causa secunda, si quæ inueniatur habens in sua potestate vim physicè immutandi aliquam aliam secundam causam; sed vt opinor, nulla talis inuenitur, saltem quæ possit immutare sic nostram voluntatem:nam vt patet ex Scoto in 2. dist. 11.quæst. vnica, respondendo ad quæst. Si Angelus saltem pro statu isto,non habet vim immutandi immediatè nostrum intellectum;quantò magìs voluntatem, quæ in operationibus suis libera est. Vndè non obscurè sequitur, quòd si Angelus, qui est suprèma creatura id non potest, eò magìs quæcunquè alia creatura id minimè poterit; quod etiam confirmatur ex Scoto in 2. dist. 14. quęst.3.sub lit.H.& in quęst. quodlib. sub lit.O. vbi dicit stellas & planetas minimè habere actionem nisi indirectè supra intellectum & voluntatem nostram: quòd autem aliquæ causæ secundæ habeant actionem phisicam super sensibilia & insensibilia, patet ex Scoto in tota præallegata quęst.Causa igitur phisica illa est,quæ habet vim immutandi aliam causã à se; ità quòd ad actionem illius infallibiliter sequatur effectus in causa præmota, idest ità quòd stante tali immutatione phisica causa mota infallibiliter operetur & agat:

agat: Causa verò moralis cùm sit solùm causa disponens, consilians, suadens, alliciens ac pręcipiens; non habet vim phisicè immutandi, & consequēter ad eius actionem non semper sequitur effectus.

Secundò notandum est, quòd sicuti duplex est causa; scilicet phisica & moralis, sic etiam duplex est causalitas; siuè duplex est motio ac efficientia, phisica altera; altera verò moralis, quæ proportionabiliter correspondēt ipsis causis. Descriptio illa motionis phisicæ potest colligi ex Scoto in 4. dist. 44. quæst. 2. sub lit. N. vbi dicit: *Et sicut causa superior vniformiter agit ad nolle, propter quod causa inferior non potest difformiter agere ab ipsa; ità vniformiter agit ad intentionem huius nolle &c.* Motio phisica, seù vt alij dicunt, prædeterminatio phisica illa est, qua aliquid phisicè immutatur, qua immutatione posita sequitur effectus in re immutata; idest qua immutatione posita res, siuè causa immutata infallibiliter operatur. Causalitas, siuè motio vel prędeterminatio moralis illa est, qua posita res vel causa sic immutata non necessariò operatur; & hoc patet in Rethoribus, qui multis persuasionis rationibus demonstrando voluntati conuenientiam obiecti, dicuntur moraliter præmouere voluntatem, & tali præmotione positos non infallibiliter sequitur effectus: quia ille, cui suadetur aliquid, potest oppositum suasionis eligere quantùmcunquè persuasiones sint apparentes & ostendant hoc, vel illud esse faciendum; habent tamen eiusmodi suasiones vim inclinandi voluntatem, non autem vim immutandi illā.

Ter-

Tertiò notandũ est, quòd quando loquimur de vtraquè præmotione, præcipuè loquimur de illis in ordine ad nostram voluntatem: nã licèt etiam causæ naturales verè efficienter præmoueantur à Deo ad suas operationes, illis tamen non potest aptari; nisi præmotio phisica, non autem moralis: talis enim pręmotio vt patet, non potest aptari nisi rationabilibus animalibus, & forsan & absquè forsan irrationabilibus etiam; nam catulus signis allicitur, & minis iubetur facere aliquid. Bruta possunt aliquo pacto moraliter præmoueri, quia habent appetitum sensitiuum: qui etiã quodammodò potest dici voluntas, vt patet ex Scoto in 3. dist. 17. quæst. vnic. sub lit. B.

Quartò notandũ est, quòd præmotio potest dici phisica, vel quia ad Phisicam pertinet eius consideratio; vel phisica, idest naturalis condistincta contra actionem liberam: vel physica, idest condistincta contra actionem moralem; quando dicimus voluntatem phisicè præmoueri à Deo, talis præmotio dicitur phisica solùm tertio modo: Si enim præmotio Dei diceretur phisica primo, vel secundo modo, absque dubio Deus tali præmotiotione nostras præmouendo voluntates destrueret insimul nostram libertatem.

Quintò notandum est, quòd præmotio moralis duplex est; interna altera, altera verò externa: interna fit inspirationibus & omnibus ijs, quæ non cadunt sub sensu, sed immediatè à Deo proponuntur vel intellectui, vel voluntati, aut ambobus; illum scilicet illustrando, hanc verò excitando. Externa verò est, quæ fit persuasionibus,

con-

consilijs, minis, vel præceptis & his similibus: phisica verò præmotio non potest esse nisi interna, cùm sit quidam prȩuius influxus in ipsas causas, quò ad operandum mouentur & applicantur, sine quo influxu præuio nũquàm causȩ secundȩ exirent in actũ secundum. Vel dicas, quòd duplex est determinatio voluntatis; altera quæ fit per causam phisicam, altera quæ fit per causam moralem: phisicè autem dicitur voluntatẽ determinari, quando per applicationem realem & phisicam voluntas mutatur ex non agente in agentem. Determinatio autem moralis fit vel per inspirationes, vel per exhortationes, vel per consilia; vocatur autem ista determinatio moralis, quia voluntas immutatur à seipsa, licèt prærequirat ista & similia vel per modum præcepti, vel per modum consilij, &c.

Sextò notandũ est, quòd phisica & moralis præmotio in eo potissimùm differunt, quòd illa mediante effectus subsequens verè & realiter; seu per veram & realem efficientiam, in suo esse dependet à causa phisica siuè naturali seu libera, immò illa posita infallibiliter effectus ponitur in esse. Morali verò præmotione siuè interna, siuè externa effectus non dicitur realiter & infallibiliter dependere in suo esse à causa morali, ex eo quia tali præmotione causa moralis nihil realiter efficit; sed solùm suasionibus proponendo conuenientiam obiecti suadet hoc, vel illud esse eligendum. Causa igitur phisica realiter immutat illud, quod præmouet: causa verò moralis minimè id efficit; vndè sequitur, quòd Deus præmouendo phisicè causas secundas realiter immutat il-

las transferendo de hoc in illud, ideſt vel efficiendo vt operentur & agant, vel econtrà.

Septimò notandum eſt, quòd Deus reſpectu voluntatis noſtræ dicitur eſſe cauſa phiſica & moralis, nam non ſolùm moraliter mouet noſtram voluntatem, vt ſomniauit Pelagius; ſed etiã verè & realiter immutat illã operando in nobis velle & perficere, vt patet ex tota ſacra Scriptura, & præcipuè ex D.Paulo teſtante quòd in ipſo viuimus, mouemur & ſumus.

DOCVMENTVM II.

QVomodò Deus, ſeu prima cauſa dicatur phiſicè præmouere cauſas ſecundas, & præcipuè noſtram voluntatem, de qua eſt maior difficultas; cùm videatur eſſe agens ex ſe potẽs exire in actum ſecundũ. Primò notandum eſt, quòd inter primam & ſecundã cauſam eſt ordo eſſentialis; ideſt quòd cauſa ſecunda eſſentialiter dependet à prima, non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in cauſando operetur de facto, niſi prima operante, neceſſariò ſequitur primã cauſam præmouere phiſicè, ideſt verè efficienter, ac realiter cauſam ſecundam ad ſuam operationem. Sequela probatur, illud quod non mouet aliud niſi priùs naturaliter ab alio motu, ab eodem habet, quod moueat & ſit motum: ſed cauſa ſecunda non mouet aliud, niſi priùs naturaliter mota à prima cauſa; ergo cauſa ſecunda ab eadem cauſa prima habet, quod moueat ac moueatur, ergo cauſa ſecunda phiſicè verè efficienter, & realiter præmouetur à prima ad ſuã operationem. Conſequentia

tia subsumpta patet: nam si secunda causa habet à prima quod moueat, & moueatur; certum est, quòd phisicè præmouetur ad suam operationem, cùm talis motio non sit moralis; ergo de necessitate est phisica, quia non datur media motio inter moralem & phisicam. Maior vt iacet, est Scoti in 2. quæst. 10. parum supra lit. D. vbi probat, graue habere principium intrinsecum sui motus; minor etiam vt iacet, est Scoti in pluribus locis, sed præcipuè in primo dist. 8. q. 5. sub lit. BB. & in primo dist. 39. supra lit. C. §. *Prætereà*. Illud primū assumptum, scilicet quòd causa secunda dependeat à prima non solùm in essendo, sed etiam in operando patet ex in primo dist. 1. q. 2. sub lit. I. vti habet hæc formalia verba: *Prima differentia est, quòd in causis per se ordinatis causa secunda in quantum causat, dependet à prima, &c.* & ideò potest elici ex toto illo articulo. In præcitato loco primo dist. 1. quęst. 5. sub duobus BB. in 3. dist. 4. quęst. vnica sub lit. D. Colligitur etiam ex 7. quæst. quodlib. sub lit. T. & ex 15. sub lit. R. in 2. dist. 3. quæst. 8. sub lit. E. in 4. dist. prim. quæst. 1. respondendo ad vltimum principale, & in eodē loco respondendo ad quæst. sub lit. DD. & in 2. dist. 42. sub lit. C. vbi habet hæc verba: *Causa prior non solùm non habet esse à causa posteriori, sed nec ad actum suum præsupponit actum posterioris, &c.*

Sed hìc posset esse dubiū, scilicet quòd licet prædicta ratio concludat de causa secunda naturali: tamen non concludit de causa secunda libera, quia voluntas videtur, quòd habeat in sua potestate exire in actum, quan-

do sibi placuerit ex imperio suæ libertatis; ergo non omnis causa in operando dependet à causa prima.

Respondeo primò, quòd licèt causa libera addat aliquid aliud supra causam naturalem, nempè indifferentiam ad vtrumque oppositũ contradictorium: tamẽ cùm etiam ipsa sit causa secunda debet esse essentialiter ordinata, & dependere à prima non solùm in essendo, sed etiam in operando; aliter voluntas vt sic subterfugeret rationem causæ secundæ, quod est falsum. Et hæc est intentio Scoti in primo dist. 39. supra lit. C. §. *Contra ista, &c.* vbi Scotus impugnans D. Thomam asserentem aliquid in ordine ad scientiam Dei esse simpliciter necessariam & in ordine ad causam proximam esse contingens assumit hanc propositionem; scilicet, *causa mouens in quantum mota si necessariò mouetur, necessariò mouet, quælibet igitur causa secunda, &c.* Vbi dicendo, *quælibet causa secunda, &c.* includit etiam sub illo signo vniuersali causam secundam liberam mouere in quantum est mota à prima; & præter hoc etiam Scotus ibi loquitur de ipsa voluntate, vt patet intuenti literam eius, ergo etiam dependet in operando à causa prima. Respondeo secundò negando consequentiam, cuius negationis assignatur ratio; quia cum voluntas sit ex se indifferens ad vtrumque oppositum contradictorium non habet ex se ipsa, vt possit exire in hoc, vel in suum oppositum nisi à superiori agente prædeterminetur, ergo voluntas non solùm in essendo: sed etiam in operando dependet à causa prima.

Sed aliquis posset dicere, quòd

quòd hæc secunda respõsio omninò aduersatur doctrinę Scoti in pluribus locis, & præcipuè in 2.dist.25.quęst. vnica respondendo ad vltimum principale, vbi asserit voluntatem esse potentiam determinatam, sed quia est potentia perfecta, potest exire in alterum oppositorum ex se ipsa, & ex innata libertate se determinando magis ad vnum, quàm ad aliud; dicit insuper ibi de mente Aristotelis, quòd sciẽtia siuè intellectus est contrariorum, & quantùm est de se nisi aliũdè determinetur ad alterũ contrariorũ simul exiret in vtrũq; quia est potẽtia imperfecta, ergo dictum est voluntatem ad hoc vt possit exire in determinatũ actũ debere determinari ab agente superiori.

Hæc difficultas maximè vrget in via Scoti, nam vt patet ex præcitato loco 2. & in eodem dist. 2. in tota 10. quæst. vbi concedit intrinsecum principium motus tùm Angelis, tùm etiã grauibus & leuibus; & in eodem 2. dist.3.quæst.8.sub.lit.M.respondeo ad 4. principale. In primo dist.3.quæst.7.sub lit. T.nec non in 15. q. Quodl. respondendo ad primũ principale, ipse concedit idem posse mouere seipsũ & præcipuè voluntatem posse mouere seipsam; ergo illa secunda solutio argumenti apertè contradicit Doctrinæ Scoti, quid dicendum? Respõdeo negãdo respõsionẽ illã contradicere doctrinę Scoti, immò est multũ cõformis illi & veritati: nã vt probatum est supra etiã de mente Scoti, omnis causa secunda naturalis & libera non solùm in essendo, sed etiam in operando dependet à causa prima; igitur ipsa voluntas vt causa secunda quantùmcun-

cunquè sit libera & sit actiua, non potest ex sua innata libertate exire in alterũ oppositorum contradictoriorũ, nisi priùs ad aliud determinetur à prima causa, ad quod ipsamet prima causa independenter à quocunquè alio seipsam non solùm ab ęterno determinauit, sed etiam (vt potest colligi ex Scoto in 3. dist. 4. quæst. vnica sub lit. D. vbi habet hęc verba: *Quia illa superior causa primò determinatur, & ipsa determinata &c.*) quodammodò antecedenter ad operationem actualem voluntatis in aliqua differentia temporis determinat: causa enim secunda, quæ libera est, ex hoc quòd libera non addit supra causam secundã naturalem aliquam independentiam in operando; sed sicuti hæc, ità illa in operando à prima causa dependet. Sed addit supra causam naturalẽ libertatem, quæ libertas, vt Scotus habet in primo dist. 1. quæst. 4. respondendo ad tertiam pro opinione in fine, consistit; quantùm ad actus determinationem &c. & hãc determinationẽ actus addit propriè causa libera supra causam naturalem: & ex hoc indeterminationem ad opposita contradictoria, & etiam maiorem actiuitatem; quia ex Scoto in 2. dist. 37. parùm supra lit. N. voluntas est suprema inter omnes causas actiuas, sed non vt dictum independẽtiam à causa prima in operando, quia sicuti naturalis causa prima non agente non agit, sic etiam & libera. Ad omnes auctoritates Scoti respõdeo, quòd si ipse concedit intrinsecum principium motus causis secundis, siuè naturales, siuè liberæ sint; iure optimo concedit, vt efficacissimè eius rationes probant in

2. dist.

2.dist.2 quęst. 10. sub lit. B. C.D.sed cócedédo eis principium intrinsecum sui motus nihil aliud intendit, nisi quòd ipsæ causæ secundæ ab intrinseca sunt in actu primo, siuè intrinsecè in seipsis habent actum primum sui motus;quo actu possunt exire in actum secundum: sed nó propter hoc affimat Scotus secundas causas exire in actum secundum absque eo, quòd præmoueantur à prima causa, siuè ante præmotionem primæ causę; nam si hoc affirmaret, vtiq; sibi ipsi cótradiceret, & destrueret ordinem essentialem causarum.

Sed adhuc videtur stare difficultas, nam ipse in præcitato loco 2. dist.25.quæst. vnica respondendo ad vltimum, dicit intellectũ & voluntatem esse potẽtias indeterminatas: sed quia intellectus est potentia imperfecta non potest ex se determinatè exire in alterum oppositorum, nisi aliundè determinetur,nempè ab ipsa voluntate, voluntas verò est potentia perfecta, potest ex seipsa exire in alterũ oppositorum absque eo, quòd aliundè determinetur; ergo nihil esset differentia assignata à Scoto inter intellectum & voluntatem, nisi ipsa voluntas ex se ipsa independenter à causa prima de facto posset exire in actum secundum.

Hanc difficultatem etiam faciliter excludimus ex ipsomet Scoto in 4.dist.49. q.6. sub lit.K. vbi dicit hæc formalia verba: *Sed ex consequẽti est contra naturam voluntatis determinari à causa inferiori, quia tunc ipsa non esset superior; non est autem contra naturam eius determinari à causa superiori &c.* Ex quibus verbis colligitur, quòd quan-

quandò Scotus dicit voluntatem ex se ipsa determinatè indepēdenter à quocunquè alio posse exire in actum secundum, non intelligit; quòd hoc habet independenter nisi à quocunquè alio creato, non autem independēter à prima causa. Vndè hæc est differentia inter naturalem & liberam causam, scilicet quòd illa nullo pacto habet in potestate sua actionem suam; ità vt possit aliquo modo se determinare ad agendum, quasi verò ducat se, & non ducatur tantùm: hæc autem habet in potestate sua actionē suā, ità quòd præsentato sibi obiecto ducit & determinat se, & non ducitur, nequè determinatur; & hoc ipsum vult dicere Scotus in 16. q. Quodl. parum supra lit. V. & quæst. 18. Quodl. sub. lit. M. vbi habet voluntatem esse sui determinatiuam ad alterum oppositorum. Conueniunt tamen, tùm quia de facto non operantur, nisi à superiori causa pręmoueātur, tū quia vtraq; quantūcunq; pręmoueantur ad actualem operationē, actiuè se habent; quia vt dicit Scotus in 4. dist. 1. quęst. 1. respondendo ad vltimam, nihil agere in quocunquè ordine agendi, nisi habeat formam actiuam & intrinsecam.

DOCVMENTVM III.

Notandum est quamlibet causam secundam quomodòcunquè consideratam & quatùmuis perfectam habere admissam in suo esse aliquam potentialitatem, quia vt patet ex Scoto in 1. dist. 8. q. 2. sub lit. A. & B. quæcunquè cteatura caret aliqua perfectione, quæ sibi vt ens est, nata est competere. Hinc est cau-

cäusam omnem creatam quãtùmuis perfectam in ratione causæ carere aliqua perfectione,& dicere aliquã potentialitatem; sed vt patet nulla causa secunda caret perfectione reijciente actum primum, seù nullà causa secunda dicit potentialitatem in actu primo: quasi verò ad hoc vt possit agere causa secunda,necesse sit de nouo accipere aliquid à causa prima, quod constituat illam in actu primo, quo possit agere;non (inquam)hoc verum est: nam omnes causæ secũdæ à principio suę productionis acceperunt completum & sufficientem actum primum, quo possunt agere, vt colligitur ex Scoto in 4. dist. 1.quæst. in responsione ad vltimum, dicit enim ibi: *Omnem secundam causam habere formã actiuam, idest actũ primum in esse quieto antecedenter ad actualem operationem*. Carent solùm aliqua perfectione respiciẽte actum secũdum, siuè solam dicunt potentialitatem in ratione actualis causationis, idest quòd nullo pacto causæ secũdę possunt actualiter causare,& exire in actum secundum, nisi priùs aliquid recipiant à causa prima; quod nihil aliud est, nisi actualis applicatio causę, siuè eius præmotio ad operandum: nam, vt dictum est supra, causa secunda, nunquàm actualiter operatur prima nõ operante; igitur ad operationem primę causę secunda recipit aliquid, non recipit aliquid respiciens actum primum: sed solùm recipit actualem applicationem & pręmotionem actus primi; vt exeat in actum secũdum. Et hęc est germana doctrina Scoti in 3.dist.4.q.vnic. sub lit.D.vbi habet hæc formalia verba: *Sed potentia actiua*

causæ inferioris est remota, quando causa superior nō agit, ità quòd nunquàm est causa inferior in potentia propinqua ad effectum, nisi causa superiori agente; quia illa superior primò determinatur, & ipsa determinata inferior &c. Quę verba si singula expendātur, nihil aliud docere videntur, nisi prædictum totabile: per actiuam potentiam causę inferioris necessum est, vt intelligat actum primum eius, & per illam particulam (*remota*) nihil aliud docet nisi actum primum causę inferioris superiori non agente esse remotū, idest non actualiter pręmotum & applicatum; vt exeat in actum secundum, quod etiam non obscurè docent verba sequētia, scilicet: Ita quòd nunquàm est causa inferior in potentia propinqua, idest actualiter applicata ad effectum, idest ad operandum; nisi causa superiori agente, idest præmouente & applicante. Id ipsum etiam docet Scotus in 15. quæst. Quodl. sub lit. R. vbi habet hęc verba: *Quia quò oportet causas concurrere ad agendum, vna earum, scilicet secunda, non est in potentia propinqua nisi alia, scilicet prima concurrente &c.* Et subdit exemplum ad huiusmodi explicetionē, scilicet: *Ad hoc autem quòd color agat in visum, requiritur alia causa concurrens ad agendum, scilicet lumen; ideò tunc solùm est color visibilis in potentia propinqua, quando est actu illuminatus &c.* Et subdit idē esse dicendū de phantasmate nondùm illustrato ab intellectu agente respectu productionis speciei intelligibilis, idest quòd phantasma nō illustratum ab intellectu agente est in potentia remota respectu productionis speciei intelligibilis; est verò in poten-

potentia propinqua, quòd est actualiter illustratū. Hinc sequitur, quòd sicut color ad hoc vt agat in visum, recipit aliquid à lumine & non aliquid respiciens actum primum sed solùm præmotionem & applicationem actus primi ad actum secundum, & sicut etiam phantasma ad hoc vt actualiter operetur ad productionem speciei intelligibilis, aliquid recipit ab intellectu agente, & non aliquid tenens se ex parte actus primi (quia tàm color, quàm phantasma habēt cōpletum & sufficientem actum primum, quo ille possit agere in visum, & hoc possit ad productionem speciei intelligibilis) sed solùm præmotionem & actualem applicationem actus primi ad actū secundum, sic etiam omnis secunda causa etiam libera in comparatione ad Deum, qui vniuersalissima & prima causa est, aliquid recipit ab illo, non autem aliquid quo constituatur in actu primo, & quo possit simpliciter agere; quia hoc falsum est, nam à principio suę productionis omnis secūda causa accepit à Deo cōpletum & sufficientem actum primum, quo simpliciter potest agere: sed solùm recipit aliquid, quo actualiter operetur, & agat, quòd nihil aliud est nisi prę motionem, & actualem applicationem actus primi ad actum secundum.

Sed contra hoc est Scotus in 2.dist.3.q.8.sub lit.E. vbi habet hæc verba: *Licèt ibi causæ ordinatæ habeant aliam rationem causandi, & inferior non causet nisi in virtute superioris; ista tamen virtus, siuè assistentia, siuè influentia (quomodocunquè nominatur) non est impressio alicuius formæ, vel alicuius inhærentis in causa*

inferiori: sed tamen est ordo, siuè actualis coniunctio talium causarum actiuarum, ex quibus sic coniunctis & suis proprijs actiuitatibus præsuppositis coniunctioni, sequitur effectus communis ambarum causarum &c. Et in 4.dist. q.1. sub lit. S.scilicet respondendo ad vltimum principale, vbi habet hæc verba: *Et ex hoc patet, quòd causæ primæ in secundam propriè dictam, quãdo simul agunt, non est influẽtia noua, quæ sit creatio alicuius inhærentis causæ secundæ; sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarũ in agendo effectum communẽ &c.* Igitur si causa secunda ad hoc, vt actualiter operetur non recipit aliquam influentiam, aut aliquod sibi inhærens à causa prima: sed talis influentia nihil aliud est, nisi determinatur ordo in agendo, idest quòd si prima agit, & secunda agit; ergo malè dictum est supra causam secundam aliquid recipere à prima ad hoc &c.

Reuerà auctoritates prædictæ prima facie magnum negotium facescere, & omninò id, quod supra dictum est, eneruare vidētur; tamen si benè & accuratè perpendantur, nihil est in Scoto, quod magìs confirmet nostrum propositum, quã ipsæ. Nos enim dicimus causas secundas eo pacto subordinari primæ causæ, quòd ad hoc vt de facto operentur & agant, non est necessarium aliquid respiciens actũ primum de nouo recipere ab illa: tamen necessum est aliquid recipere respiciens actũ secundum, seù actualem earum operationem, hoc est necesũ est eis recipere præmotionem & actualem applicationem ad actum secũdum; & id ipsum excellentissimè docet Scotus in præcita-

citatis locis: nam si inspiciatur primus locus, vt expendatur illa particula; *Sed tantùm est ordo, siue actualis coniunctio*, certum est, quòd nostrum confirmat propositũ: nam talis ordo inter primã & secundam causam, & illa actualis coniunctio nil aliud est nisi præmotio, & actualis applicatio, qua secunda causa applicatur ad agẽdum ad operationem primę; pręsupposita tamen (vt ipse dicit) actiuitate, idest actu primo causæ secundæ ad talem actualem coniunctionem & applicationem. Libenter enim nos etiam concedimus influentiam illam non esse creationem alicuius formæ, vel alicuius alterius inhęrentis ipsi causæ secundæ; nam hoc absurdum est, scilicet quòd ad hoc vt causæ secundæ operentur & agant, sit necessarium ipsi Deo sẽper de nouo creare aliquam formam, seu inhęrentem qualitatem, qua creata secunda causa posteà operaretur: vltrà quòd etiã, vt dicit Scotus in 4. dist. 49. q. 6. sub lit. R. voluntas nostra non esset libera in actionibus suis, quia tunc ageret per formam determinatam excludẽtem indeterminationem de possibili: *Est enim* (dicit Scotus ibi) *contra naturam voluntatis determinari ab habitu, siuè à natura inferiori*. Et infrà: *Non est autem cõtra naturam eius determinari à causa superiori, quia cum hoc stat; quòd sit causa in suo ordine &c.* Si enim illa influentia esset aliqua qualitas inhærens volũtati, vltrà quòd esset inferioris ordinis ipsa voluntate determinaret etiam illam ad agendum, ità quòd nõ posset non operari: nam qualitas illa cùm esset agens naturale & inferioris ordinis, naturaliter determinaret vo-

lun-

luntatem ad agendum; Deus autem quantùmcunq; determinet voluntatem ad alterã partem contradictionis, quia tamen cũ sit causa superior, & habeat hoc in sua potestate, determinat ac concurrit cum illa ad operationem iunctam illius exigentię, id est iuxta eius liberam naturã & inclinationem non tollit eius libertatem, quod vtiq; eueniret posita illa qualitate antecedenter ad operationẽ voluntatis. Idem etiam colligitur ex Scoto in 1. dist. 17. q. 2. supra lit. HH. vbi probans quòd gratia in ordine ad actum non est prima causa, ait: *Et secundò, quia actio non esset libera; si gratia esset prima causa: volũtas enim naturaliter moueretur, quia gratia naturaliter moueret; & sicut voluntas non liberè mouetur, ità nec liberè ageret, cùm ageret, nisi quia mota &c.* Idipsum etiã colligitur ex præcitato loco suprà lit. I f.

Et quòd prædicto modo debeat Scotus intelligi in pręcitato loco 2. non obscurè colligitur ex verbis eius ibidem: distinguit enim ibi aliquid dupliciter posse dici mouẽs motũ, vel quòd mouens recipiat in causa superiori formam aliquam, qua moueat; idest actum primũ, siuè recipiens & se tenens ex parte actus primi, vel quòd habita tali forma vt actu primo, recipiat vlteriorem formam, qua agat sicut actum secundum, idest quæ forma respiciat actum secũdum, siuè sit sicut actus secundus. De mouente motu primo modo nõ dat Scotus exemplum, sed hoc primo modo mouentia mota possunt dici elementa: nam vt communiter dicitur, Cœlum est causa superior respectu elementorum, & elementa recipiunt formam ab ipso

ipſo Cœlo & ab influentijs cœleſtibus, qua forma elementa ſunt in debita diſpoſitione ad actum ſecundum. Ad hoc igitur vt elementa de facto agant, recipiunt ab ipſo Cœlo aliquam formam qua completiuè conſtituuntur in actu primo, quo poſſunt agere; & recipiūt etiam aliquid, non quod eſt, ſicut actus primus: quemadmodùm eſt illa forma completiuè conſtituens elementa in actu primo, ſed quod eſt ſicut actus ſecundus, quod nihil aliud eſt niſi ordo agendi; nam ad actionem primæ cauſę ſecunda pręmouetur, & applicatur ad actualē operationem, ideſt ad motionem primæ cauſæ recipit ſecunda motionem quandā (quæ motio eſt ad modum actus ſecundi, ſed non eſt qualitas inhærens cauſæ ſecundæ) & ſic etiam ipſa operatur, & agit. Ponit autem ibi Scotus exemplū de mouente moto ſecundo modo, ſcilicet baculus mouens pilam; motus tamen à manu dicitur mouens motum ſecundo modo: manus enim non dat baculo aliquam formam completiuè conſtituētem illum in actu primo, ſcilicet duritiem; quæ eſt ratio formalis ipſi baculo expellēdi pilam (per duritiem enim corpus expellit aliud extra locum) ſed pręcisè dat baculo motionem localem, qua ſcilicet motione ipſe baculus applicatur ad iſtā expulſionem propter impoſſibilitatem corporis duri ad aliud corpus, quod non cedit ei. Et ſubdit Scotus: *Hoc modo videtur eſſe in agentibus ad aliquem effectum productum per generationem, vel per alterationem &c.* Ex quibus verbis apertiſſimè colligitur eodem modo ſe habere agētia ad aliquem effectum productum

ctum

ctum per generationem, quę agentia sunt essentialiter ordinata, sicut Deus, Sol, & homo; sicut se habent manus & baculus ad expulsionem pilę, idest quòd sicut baculus expellens pilam ab aliquo loco: motus tamen à manu non recipit aliquid se tenens ex parte actus primi, seu ad modum actus primi; sed solùm recipit aliquid ad modum, siuè simile actui secundo, scilicet motionem localem, mediante qua ipse baculus applicatur ad expulsionem pilæ; sic etiam causa secunda essentialiter subordinata causę primæ non recipit ab illa, quando operatur aliquid se tenens ex parte actus primi, quod vel sit aliqua forma, vel aliquid aliud inhærens ipsi causæ secundę: sed solū recipit motionem, seù pręmotionem, mediante qua (vt dicit Scotus in præallegato exemplo de baculo) ipsa causa secunda applicatur ad actionem suam, siuè mediāte qua præmotione actus primus causę secundæ exit in actum secundum.

Hinc patet perperàm intelligere Scotum interpretes illos, qui putant illam particulam prædicti textus, scilicet: *Hoc modo videtur esse in agentibus &c.* esse legendam cum negatione, scilicet: *Hoc modo non videtur esse &c.* Nā vltrà quòd illa negatiua dictio in nullo Scotico textu quantùmcunq; vetusto reperitur, potest etiam colligi ex eodem Scoto ibidem parùm supra lit. F illam particulam non esse legendam cum negatione; nam ibi Scotus applicando perfectā distinctionem de duplici mouēte moto habet hęc verba: *Ad propositum igitur dico, quòd non solùm isti, scilicet intellectus & obiectum non sunt mouens*

motum

motum primo modo; sed nec secundo modo propriè, sicut se habet Sol & Pater in generatione: sed tantùm sunt duæ causæ quasi ex æquo se habentes &c. Ex quibus verbis nõ obscurè colligitur Scotum negare intellectum non solùm non recipere ab obiecto, & econtrà actum primum, siuè aliquid se tenens ex parte actus primi: sed nec etiam ab inuicem recipere aliquid ad modum, seù simile actui secũdo, ideſt præmotionem & applicationẽ ad agendum sicut, ideſt quã prȩmotionem & applicationem ad operandum recipit Pater à Sole; & affirmare solùm esse causas ex æquo cõcurrentes, ideſt non adinuicem mouentes motas nec primo, nec secundo modo ad actionem suam.

Eodem etiam pacto respondeo ad aliam auctoritatem 4. & dicimus Scotum in eo loco docere nostram sententiam, quæ talis est; scilicet causam secundã ad hoc vt de facto operatur, recipere à causa prima aliquã influentiam, quæ influentia nõ est aliqua forma, vel aliquid aliud inhærens causæ secundæ, quòd scilicet habeat rationem actus primi, sed eiusmodi influentia est determinatus ordo secundȩ causȩ ad primam, ideſt eiusmodi influentia est præmotio & applicatio causæ secundæ ad operandum, quæ præmotio & applicatio recipitur in causa secunda ad operationem primæ causæ. Idipsum etiam docet ibi Scotus: Nã si expendatur illa particula prȩdictȩ auctoritatis, scilicet; *Sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communẽ &c.* Non obscurè indè colligitur nostra sententia; nam quid aliud sibi vult causam

secũdam esse subordinatam primæ causæ in agendo, nisi ipsam moueri ad motionem primæ, & consequẽter applicari ad operationem suam? ergo recipit aliquid nõ aliquid habens rationem actus primi, ergo aliquid quod est simile actui secundo; pręmotionem scilicet, & applicationem ad operandum.

Et quòd hæc sit germana sententia Scoti in eo loco, liquidò etiam patet ex differentia, quam ipse ponit ibi inter causam secundam & instrumentum: nam licèt secunda causa & instrumentũ conueniat in ratione instrumenti, ex eo quòd nec istud, nequè illa excludunt in agendo dependentiam, dico ad causam superiorem; quia sicut instrumentum, sic causa secunda includit in agendo dependẽtiam ad causã superiorem, vt dicit Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1. sub lit. DD. & in eodem 4. dist. 1. q. 5. sub lit. F. Tamen hoc non obstante maxima est differentia inter causam secundam & instrumentum: *Magis enim* (ait Scotus in pręcitato loco 4. dist. 1. q. 1. in responsione ad vltimum) *dicitur instrumentum agere in virtute alterius, quàm causa secunda; quia plus dependet ab agente superiori illud, quod non habet formam actiuã in esse quieto: sed tantùm recipit in actuali motione quàm illud quod habet formam actiuam in esse quieto.* Et subiungit: *Causam etiam secundam, idest quæ habet formam actiuam in esse quieto, agere in virtute alterius non est recipere tunc aliquid ab illo altero; sed tantùm habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens in suo ordine simul, sed instrumentum, idest recipiens formam actiuam in motione,*

agere

agere in virtute alterius, est tūc actualem accipere formam ab eo, per quam scilicet formam agit &c. Differentia igitur vt patet ex verbis Scoti inter causam secundam & instrumentum in eo sita est, quia scilicet causa secunda cum in esse quieto; idest antecedenter ad actualem operationem habeat formam actiuam, idest sufficientem & completum actum primum, quo potest operari, nihil recipit à causa superiori, nisi pręmotionē & applicationē ad operandum. Instrumentū verò quia vt instrumentum nō habet formam actiuam in esse quieto, idest antecedenter ad operationem, nec etiam habet in esse quieto; vndè ex actiua virtute intrinseca possit agere in suo ordine (vult enim Scotus in pręcitatis locis 4. & pręcipuè dist. 1. quæst. 5. sub lit. F. instrumentum, vt sic nullo pacto esse actiuū) ergo quando instrumentum motum à superiori agente operatur in suo ordine, non solùm recipit actualem præmotionem, & applicationem ad operandum: sed etiam in actuali motione recipit formā actiuam, per quam agit, vt patet ex præallegatis verbis Scoti, quod etiam parum infrà clariùs docet his verbis, scilicet: *Instrumentum autem quādo agit, recipit influentiam propriè ab eo, cuius est instrumētum, quia motionem actualem, & in motione formam per quam agit in suo ordine &c.* Quid clarius? Ex quibus verbis maximè animaduertēdum est illud aduerbium, *propriè*: nam ex eo colligitur duplicem esse influentiam primæ causæ in secundam; altera, quæ dicitur propriè influentia, mediante qua inferior causa recepit à superiori præmotionem & appli-

cationem ad operandum & in pręmotione aliquam formam actiuam, per quam agit, & ista influentia superius agens influit in istrumentum motum ab ipso ad operandum: altera verò, quę dicitur impropriè influeutia, mediante qua causa inferior recipit à superiori solùm præmotionem & applicationem; quæ cùm nil aliud sint nisi respectus, nullam rationem actiuitatis retinent, & tali influentia influit causa prima in secundam.

Ex his omnibus ergo nō obscurè colligitur Scotum negare secundā causam recipere à prima aliquam formam actiuam, qua mediāte quasi sufficiens & completa redderetur ad posse operari, quod etiam nos libentissimè negamus cum illo; colligitur etiam minimè negare causam secundā recipere à prima aliquid, quod tamen non est actiuum, sed potiùs est quasi actus secundus, qui est illa pręmotio & applicatio ad operādum, quam applicationem & præmotioné necessariò necessitate ineuitabilitatis causa secunda ex determinato ordine agendi debet recipere à prima causa ad hoc, non dico vt possit operari; nam cùm omnis causa secunda in esse quieto, seu (vt alij dicunt) permanētem habeat formam actiuam, habet sufficientem & completiuè actum secundū, quo potest operari; sed vt de facto operetur, & exeat in actum secundum.

Quādo implicat contradictionem, dicere causam secundam de facto operari nō priùs recepta à superiori causa præmotione & applicatione ad operandum, nam cùm secūda causa de mente omniū Philosophorū & Theologo-

logorum dependeat à prima non ſolùm in eſſendo; ſed etiam in operando implicat intelligere ſecũdam cauſam de facto operari prima non operãte, prę mouẽte, & applicante illam ad operandum.

Sed contra explicationes ſuperiùs adhibitas auctoritatibus Scoti eſt ipſemet Scotus in 2. diſt. 2. quęſt. 10. ſub lit. G. vbi apertiſſimè docet non oportere cauſam ſecundam ad hoc vt oportet de facto, quòd præmoueatur à prima. Exponens enim ibi auctoritatem illã 7. Phiſ. tex. Com. p. ſcilicet: *Omne quod mouetur ab alio, mouetur &c.* (Auctoritas enim hæc videbatur deſtruere quod ipſe determinauerat in illla q. ſcilicet: omne mobile, nempè grauia & leuia habere principium intrinſecum ſui motus) vt oſtenderet auctoritatem Philoſophorum nihil obeſſe ſuo principali intento; in illa quæſt. dicit, quòd duplex eſt potentia, altera prima ſeu eſſentialis reſpiciens actum primum: altera verò ſecunda, ſeu accidentalis reſpiciens actum ſecundum, qua diſtinctione præmiſſa dicit non oportere; quòd omne, quod mouetur ab alio, moueatur à potentia ſecunda ad actum ſecũdum: ſed ſatis eſt, quòd moueatur à potentia prima ad actum primum, & ſubdit; hoc ſecundum ſufficere Philoſopho vt probat, deueniendũ eſſe ad aliud primum, quod nec vno nec alio motu moueatur ab alio: ſed ſit omninò mouens immobile; ergo ſi nõ oportet omne mobile moueri à ſuo mouente de potentia ſecũda ad actum ſecundum, ergo non eſt ſimpliciter neceſſarium, quòd ad hoc vt cauſa ſecũda exeat in actum ſecundum præmoueatur à cauſa prima. Idem

etiam apertè dicit in 4. dist. 13. quæst. 1. sub lit. CC. vbi habet hæc verba, scilicet: *Quia nõ credo semper causam secundam, quæ vocatur quandoquè instrumentum, recipere motionem specialem à causa prima; sed tantùm habere subordinationem aliquam formæ suæ actiuæ ad formam actiuã alterius &c.* vide ibi.

Sanè locus iste Scoti nisi castè exponatur, videtur destruere quidquid de mente sua superiùs diximus; & ideò respondemus negando vltimam consequentiam. Ad auctoritatem verò Scoti dicimus, quòd ipse dicit non oportere mobile moueri ab eo, quo mouetur de potentia secunda ad actum secundum, debet intelligi hoc pacto; scilicet quòd mobile nõ debet moueri à suo mouente, seù à potentia secunda ad actum secundum recipiendo ab eo aliquid, quod sit tanquàm actus primus, qualitas scilicet aliqua actiua, vel aliquid aliud sibi inhærens: sed non propter hoc vult negare causam secundam ad hoc vt operetur de facto debere recipere à prima præmotionem, & applicationem ad operandum; nã si hoc negaret, vtiquè contradiceret sibi ipsi in præcitatis locis 4. & destrueret dependentiam, qua secunda causa dependet à prima in operato, vt etiam ipse asserit in diuersis locis suæ doctrinæ.

Respondeo secundò, & magis ad propositum, quòd ibi Scotus facit competere rationem inter motionem, qua mobile mouetur à suo mouente à potentia prima ad actum primum, & inter motionem, qua mouetur à potentia secunda ad actum secũdum, & dicit & quidem optimè; quòd non oportet illud,

illud, quod mouetur in omni motu moueri ab alio, ideſt non oportet quòd mobile eodẽ pacto moueatur à ſuo mouente de potentia ſecunda ad actum ſecundum, ſicuti mouetur à potentia prima ad actum primum: nam ſi ità eſſet, quòd vniformiter moueretur à ſecunda potentia ad actum ſecundum, ſicuti mouetur à potentia ad actum primum, tunc deſtruerentur actiuitates ſecũdarum cauſarum, & eſſet ſicuti inſtrumenta artis; quia tunc ſicuti ſecundę cauſę nihil prorſus agunt, quando mouentur à potentia prima ad actum primum, cui cum ex Diuo Auguſtino nihil eſt, quòd gignat ſeipſum: ſic etiam nihil prorſus agerent, quando mouerentur à potẽtia ſecunda ad actum ſecundum, & ſic eſſent merè inſtrumenta artis, quod eſt falſum; nam cauſa ſecunda quantumcùmquè ſit naturalis, & præmoueatur, ac applicetur à prima ad operãdũ, ſemper ſua propria intrinſeca virtute actiuè concurrit ad operationem. Et quòd hæc ſit germana intentio Scoti, non obſcurè colligitur ex verbis eius ibi, quando dicit ſub lit. G. ſcilicet; *Sequitur ergo, quòd omne graue & leue, licèt moueat ſe effectiuè de potentia ſecunda ad actum ſecundum: tamen mobile eſt, vel mouetur ab aliquo alio extrinſeco à potentia prima ad actum primum; non enim oportet, quòd ſi omne quod mouetur, ab alio mouetur, quòd in omni motu moueatur ab alio &c* Ex quibus verbis clariſſimè colligitur expoſitio prædicta; nam quando Scotus loquitur de motione, qua mobile mouetur à potentia ſecunda ad actum ſecundum, loquitur in ſignificatione actiua: quando verò

rò loquitur de motione, qua mouetur à potentia ad actũ primum, loquitur in significatione passiua, vt patet intuenti literam eius; ergo sequitur, quòd quando dicit non oportere mobile in omni motu moueri ab alio, vult dicere quòd non oportet, quòd semper vniformiter moueatur ab vtraquè potẽtia ad actus correspondentes.

Ad locum ex 4. respondeo primò, Scotum verum dicere causam secundam nõ sẽper recipere à prima motionem specialem, ideſt motionem specie distinctam à motionibus, quibus aliꝫ causæ secundæ mouentur ad operationem; quia non est necesse, quòd sit distincta specie, si sufficit quòd sit distincta numero, & hoc potest colligi ex Scoto, qui in 2. dist. 7. quæst. vnica sub lit. I. dubitans, si ad hoc vt viator ex puris naturalibus possit habere motum attrictionis præter influentiam generalem requiratur operatio, ideſt motio Dei, quæ sit specialis. Respondet in 4. dist. 14. quæst. 2. sub lit. M. sufficere communem influentiam, ideſt illa Diuina influentia, qua peccatores habent motum attritionis, est communis; ideſt eiusdem speciei in omnibus peccatoribus: non enim oportet influxus, quibus peccatores præmouentur ad motum attritionis, differre specie; quia esset multiplicare entia absque necessitate, & hoc est quod dicit Scotus in duobus locis 4. præcitatis. Hinc colligitur Scotum non negare auxilia specialia, sed tantùm docere specialia auxilia non differre specie.

Secundò respondeo, quòd ibi *Scotus* comparat secundam causam ad primã,

sed

ſed non ad primò primam, & hoc verum eſt; & cauſam ſecundam non recipere motionem ſpecialem niſi à cauſa primò primà: non enim eſt neceſſe Patrem, ad hec vt agat, recipere motionem à Sole; oportet tamen vt recipiat eam à cauſa primò prima, quæ Deus eſt.

Tertiò reſpondeo Scotum ibi negare cauſam ſecundam in ſua motione paſſiua recipere aliquid à prima inhærens ſibi vt qualitas, & per modum actus primi: ſed affirmare cauſam ſecundam dependere à prima in ſua motione actiua; quod colligitur ex his verbis, quæ habet ibi, ſcilicet: *ſed quia in motione ſua dependet ab alia priùs naturaliter actu mouente &c.*

DOCVMENTVM IV.

Disputans quidnam ſit illa præmotio, & applicatio, mediante qua ſecunda cauſa præmota à prima exit in actum ſecundum: Nos tamen breuitati ſtudētes, quid illa ſit iuxta communiorem ſententiam, explicabimus. Ad cuius intelligentiam eſt primò notandum, nos non loqui hìc de influxu, ſeu concurſu ſimultaneo primę cauſę, quę Deus eſt; quo ſimul cum cauſis ſecundis operatur: omnes enim conueniunt huiuſmodi concurſum nihil aliud eſſe in cauſis ſecundis, niſi illarum operationem vt efficienter procedentem à Deo; creatio enim (loquendo tamē de creatione paſſiua fundamentali) nihil aliud intrinſecum dicit in creatura, niſi ipſam ſubſtantiam creatam,

vt à Creatore procedit: sic etiam concursus Dei simultaneus cum causis secundis ad aliquem effectum nihil aliud intrinsecum ponit in ipso effectu causæ secundæ, nisi ipsam realitatem effectus, vt procedit à Deo; sed loquimur de influxu motione præuia ad cócursum causæ secundæ, quæ pręmotio datur per modum auxilij, & immediatè recipitur in causa secunda priùs prioritate rationis, vel causalitatis seu naturæ, quàm ipsa operetur.

Hoc prænotato dicunt aliqui, quòd illa præmotio Dei proprio vocabulo debet appellari actio virtuosa, mediante qua primum agens efficit; vt causę secundę actualiter operentur vnaquęquè iuxta exigentiam proprię naturę, & scilicet hoc sit benè dictum, tamen non satis manifestè explicàt propositum: ideò nos iuxta ea, quę de actione, & motu docet Scotus in 4. dist. 13. quęst. 1. in illo art. *Ad huius difficultatis &c.* & pręcipuè sub lit. L. dicimus omnem actionem, quę motus vel motio est (tractare nunc de actione secũdum omnes suas acceptiones, & explicare illas, & quę conditiones requirantur ad actionem propriè dictam, & an operationes immanentes sint in genere actionis, nimis superfluũ esset; videatur pro omnibus his Scotus in pręcitato loco 4. & in 1. dist. 3. quęst. 6. sub lit. X. Y. Z. & in eodem primo, & dist. 3. qu. 9. in responsione ad 3. principale sub lit. N. & O. & in 13. quęst. Quodl. à lit. Y. vsquè ad lit. F.F.) duplex est, altera actiua, passiua altera: & vtraquè adhuc potest dupliciter accipi, vel fundamentaliter, aut formaliter;

si

ſi motio actiuè, & fundamẽtaliter ſumitur, nihil aliud eſt niſi potentia motiua mouentis: ſi verò accipiatur actiuè formaliter, nihil aliud eſt niſi relatio fundata in potentia motiua mouentis, & terminata ad potentiam paſſiuam mobilis; ſed ſi motio paſſiuè, & fundamentaliter ſumatur, nil aliud eſt niſi ipſa res mota, ſeù ad quã terminatur motio: ſi verò paſſiuè formaliter conſideretur, nil aliud eſt niſi relatio mobilis ad mouens fundata in potentia paſſiua mobilis, & terminata ad potentiam actiuam mouentis; ſic etiam in propoſito noſtro præmotio qua ſecunda cauſa præmouetur, & applicatur ad operandum, vel ſe tenet ex parte Dei, & ſic eſt actiua, vel ſe tenet ex parte cauſæ ſecundæ, & ſic eſt paſſiua. Et vtraquè poteſt dupliciter conſiderari, vel fundamentaliter aut formaliter; præmotio actiua fundamentalis eſt voluntas Diuina, ſeù velle Diuinum: formalis verò eſt relatio rationis (nã Deus, vt ſubtiliter probat Scotus in primo diſt. 30. quæſt. 2. ſub lit. M. non refertur ad creaturas relatione reali) vel qua Deus ab æterno comparauit ſe ad cauſas ſecuncundas ſub ratione præmouentis, & applicantis illas ad operandum; vel qua intellectus creatus in tempore, ſimili comparatione comparauit Deum ad cauſas ſecũdas. Præmotio paſsiua fundamentalis eſt ipſa cauſa ſecunda præmota, & applicata ad operandum; formalis verò eſt relatio realis, quæ dicitur relatio pręmobilis ad pręmouens fundata in cauſa ſecunda pręmota, & terminata ad voluntatem Diuinam pręmouentem.

Sed an eiuſmodi relatio

præmotionis passiuæ sit intrinsecùs adueniens, vel extrinsecùs, & quid sit, & quæ vtraquè relatio; intrinsecùs scilicet, & extrinsecùs adueniens, non est præsentis speculationis, videatur de hoc Scotus in præcitato loco 4. dist. 13. sub lit. D. & in toto illo articulo.

Sed cōtra id, quod de tali pręmotione de mente Scoti diximus, posset aliquis exurgere tali pacto: Scotus in pręcitatis locis 4. p. & Quodlib. asserit actionem non dicere respectum, sed dicere entitatem absolutam; ergo eiusmodi præmotio Dei in causa præmota non solùm dicit entitatem respectiuam, sed etiam entitatem absolutam, ergo Deus pręmouendo causam secundā ad operandum semper creat aliquā qualitatem in ipsa, quod est cōtra Scotum & veritatem. Vltima consequentia probatur à sufficiēti partium enumeratione, nam illud absolutum non est substantia, nequè quantitas, neq; relatio, vt patet; ergo remanet vt sit qualitas, ergo malè determinatum est motionem illam non esse qualitatem.

Huic difficultati facilè respondetur ex eodem Scoto in præcitatis locis, & præcipuè in 4. dist. 13. q. 1. sub lit. H. vbi dicit actionem esse nomen ęquiuocum, & consequenter plura significare sub diuersa ratione; breuiter vt ad propositum attinet, duplex est actio, alia immanēs, & altera transiens: tunc dicimus Scotum in præcitatis locis loqui de actione immanente, quæ solùm est aliquod absolutum; assimilatur tamen actioni de genere actionis in duabus conditionibus, non autem alteri conditionis, vt dicit Scotus in præcitatis locis: & sic actio imma-

immanens non eſt actio de genere actionis, vt patet vbi ſuprà; non autem loqui de actione tranſeunte, ad quam nō ſemper loquitur aliquod abſolutum productū, vt patet in motu locali; motio enim localis actio eſt, & tamen per illam nihil abſolutum producitur; ſed tamen per illam acquiritur circumſcriptio paſſiua, quæ reſpectus eſt extrinſecùs adueniens: ſicuti de mente Scoti in 2. diſt. 3. quęſt. 8. ſub lit. F. obiectum præmouendo animam ad intellectionem nihil producit in anima in illo ſigno præmotionis; eſſentia Diuina etiam ex 14. quæſt. Quodl. mouet intellectū Diuinum ad notitiam omnis intelligibilis, & tamen nihil in eo producit. Ad huiuſmodi igitur præmotionem, cùm ſit actio tranſiens, non neceſſariò ſequitur aliqua qualitas, ſiuè ens abſolutum, quòd ſit terminus talis actionis: ſed terminus eius eſt ipſa cauſa ſecunda præmota, & applicata ad agens agēdum; vndè ſicut Ariſtoteles ait in 3. phiſic. text. com. p. quòd actus mouentis in mobili eſt motus mobilis, ſic etiā eiuſmodi præmotio Diuina in cauſa ſecūda eſt motus cauſæ, ideſt terminatur ad ipſam cauſam motam: actio igitur Diuina, quę pręmotio dicitur terminatiuè eſt in ſecunda cauſa pręmota: nam non ad aliud, quàm ad illam terminatur actiua Diuina præmotio, & ſubiectiuè paſſiua præmotio eſt in eadem cauſa; ideſt ipſa cauſa vt mota eſt terminus actiuæ præmotionis Diuinę, & eadem cauſa eſt ſubiectū paſſiuę præmotionis formaliter; vndè talis pręmotio dicitur eſſe in cauſa pręmota, ſicut motus in mobili.

Sed cōtra prędicta eſt dubium

bium, & est eiusmodi, scilicet si talis præmotionis Diuinæ aliquod absolutum nõ est terminus: nam dictum est ad illam non sequi aliquod absolutum de nouo productum; ergo aliqua relatio erit terminus eius: Consequens est falsum; ergo & antecedens. Consequentia patet, nam inter absolutum & respectiuum non datur medium; ergo si absolutum nõ est terminus, ergo aliquod respectiuum: falsitas consequentis probatur ex Aristot. in 5.phis.tex.com.10.vbi dicit; quòd in ad aliquid non est motus, neq; mutatio, idest nullum respectiuum potest esse terminus motus & mutationis, consequenter neque præmotionis.

Huic dubitationi posset faciliter responderi negãdo totum argumentum, quia procedit ex falso supposito: supponit enim aliquid quod nos nõ diximus, scilicet respectiuum esse terminũ præmotionis Diuinæ; sed diximus ipsam causam secundã motam, quæ est ens absolutum, esse terminum pręmotionis Diuinæ.

Sed aliter, & magìs de mente Scoti respondeo concedendo consequentiam, & negando falsitatem consequentis: ad probationem ex Aristotele respondet Scot. in 3.dist.1.q.1. sub lit.R.vbi distinguens relationem intrinsecam aduenientem, & extrinsecùs negat motum & mutationem esse ad relationem primi generis, & ratio est; quia eiusmodi relatio cũ semper ponatur in esse consequenter & concomitanter alicuius positiuæ ẽtitatis absolutæ, nouę & in vno, vel altero extremo non est necesse pro eius acquisitione motus vel mutatio. Et ad huiusmodi relationem Aristote-

ſtoteles vbi ſuprà negat eſſe motum & mutationem, ſed affirmat ad relationem ſecundi generis; cùm non neceſſariò cõſequatur fũdamẽtum intrinſecum, & abſquè nouitate alicuius abſoluti in fundamento, vel in termino cõtingenter conſequitur benè poſſe eſſe mutationem, ideſt affirmat relationem extrinſecùs aduenientem, & ſubdit Scotus: *Et aliquæ tales relationes fortè pertinent ad illa ſex principia, quæ dicuntur extrinſecùs aduenientia; vndè & ſecundum eum in 5. phiſ. Motus eſt ad vbi, & tamen vbi nullam formam abſolutam dicit: ſed tantùm reſpectum in corpore circumſcripto ad locum circumſcribẽtem, & iſte reſpectus pertinet ad modum prædictum.*

Sed in hac reſpõſione videtur, quòd Scotus ſibi contradicat: hic enim in 3. negat ad relationem intrinſecùs aduenientem eſſe motũ, vel mutationem; in 2. verò diſt. 1. q. 5. ſub lit. G. habet hæc formalia verba, ſcilicet: *Ergo ex intentione Philoſ. non poteſt haberi, niſi quod in ad aliquid non ſit motus, cum quo tamen ſtat, quòd ibi ſit mutatio &c.* Contradictionẽ hanc ſolue, ſicut vis.

Poteſt igitur colligi ex prædictis terminum pręmotionis Diuinæ eſſe tùm cauſam ipſam, tùm etiam præmotionem paſſiuã pro formali, ſed fortè cum diſparitate, quia cauſa pręmota primò & per ſe; præmotio autem paſſiua pro formali per ſe, ſed non primò eſt terminus præmotionis Dei.

Vndè poteſt inferri aliquid eſſe terminum mutationis vel primò & per ſe ſicuti forma abſoluta, vel per ſe & non primò ſicuti reſpectus extrinſecùs adueniens, aut nec per ſe, neque primò: ſed

ſed tamen per accidens, ſicuti eſt relatio intrinſecùs adueniens; & hac diſtinctione ſoluitur prædicta contradictio.

Notandum eſt etiam iſtã præmotionem Diuinã, mediante qua quotieſcunquè cauſæ ſecundæ ſiuè ſint naturalis, ſiuè ſupernaturalis ordinis habent ratione formæ ſibi inhęrentis ſufficientem virtutem actiuam, ſiuè actum primum proportionatum cum effectu, ideſt quo poſſunt exire in actum ſecũdum: Deus applicat illas ad actualem operationem non eſſe qualitatem, tùm quia talis qualitas non eſſet niſi habitus, & habitus perficit potentiam in ratione actus primi includentis potentialitatem in ordine ad actum ſecundum, & ratio eſt, quia habitus non determinat potentiam ad operandum; ſtat enim quòd aliquis habeat habitum in ſe, & actualiter non operetur, ſed præmotio Diuina applicans cauſas ſecundas cuiuſcunq; ordinis ſint, ad operandum non perficit potentiam, conſtituendo illam in actu primo, ſed potiùs reducit ipſum actum primum ad actum ſecundũ. Tũ quia habitus ſubijciuntur libero arbitrio quantùm ad vſum, habitibus enim vtimur, cùm volumus: ſed illa pręuia motio Diuina nõ ſubeſt libero arbitrio, quantùm ad vſum; ſed potiùs ipſa ſubijcit voluntatem humanam, & eam ſibi obſequentem facit. Tùm quia poſito in potentia quocunq; habitu & qualitate actiua in ratione actu primi ſemper potentia indiget illa præmotione Diuina ad hoc, vt actualiter operetur: ſed poſita in potentia præmotione Diuina non indiget aliquo alio, quo pręmoueatur, & appli-

applicetur ad operandum; aliàs daretur processus in infinitum. Tùm etiam tandem quia si eiusmodi pręmotio esset habitus vel qualitas cõstituens potentiam in ratione actus primi, tunc iustus non habens talem habitum seù motionem Diuinam; nõ haberet reuerà sufficiens principium, quo posset meritoriè operari si vellet: nam deesset sibi eiusmodi habitus, vel qualitas actiua, qua per modum principij nõ esset perfectè constitutus in actu primo, quod est contra D. Augustinum sæpissimè docentem primis Parẽtibus fuisse cõcessum adiutorium gratiæ, quo possent perseuerare si vellent; non tamen fuit illis cõcessum auxilium, seu pręmotio, mediante qua de facto perseuerauissent.

Notandũ præmotionem hanc non esse identificatam effectui causæ secundæ, immò potiùs esse distinctam realiter ab alio, & probatur: nam ex Scoto in 2. dist. 1. quęst. 5. Illa distinguũtur realiter, quorum alterum absq; contradictione potest remanere sine altero; sed pręmotio Diuina & causa secunda se habent huiusmodi, ergo distinguntur realiter. Minor patet: nam cùm talis pręmotio priùs natura intelligatur recipi in causa, quàm causa operetur, ergo potest esse sine operatione causę; quia omne priùs vt sic, potest esse sine suo posteriori. Sed prædicta ratio videtur, quòd magìs cõcludat oppositum, quàm propositum: nã stãte illa maiori, quę est Scoti, tunc potest subsumi alia minor scilicet; sed præmotio Diuina & causa pręmota nõ possunt separare adinuicem, ità quòd sit præmotio Dei, & nihil sit præmotum, vel quòd aliquid præmoueatur

absque Diuina præmotione, ergo non distinguntur realiter. Minor patet ex terminis, quia implicat, quòd detur actio absq; termino, quia cũ actio sit quoddã respectiuũ si circũscribatur terminus ad quem est, tunc esset & non esset; quia ratio entis respectiui est esse ad aliud, est etiã Scoti eiusmodi minor in Quodlib. quæst. 13. sub lit. BB.

Huic difficultati respondet Scot. in 2. dist. 1. q. 5. sub lit. N. negando minorem: nam sequitur aliqua causa, duo non possũt separari adinuicem; ergo sunt idem realiter, & assignat ibi rationẽ: nam relationes rationis factæ ab intellectu Diuino nõ possunt esse sine illo, nec econtrà & motus de mente Philos. non potest esse sine Cœlo siuè separari ab illo; & econtrà non tamen sequitur hæc omnia esse adinuicẽ identificata realiter. Idem etiam dicit Scotus in pręcitato loco sub lit. R. scilicet respectum creaturæ, quem dicit ad non esse, vel immediatè, vel quomodòcunquè pręcedens non esse realiter idẽtificatum ipsi creaturę quãtùmcunq; creatura nõ possit esse, saltem de facto sine tali respectu; sed dicit, quòd omnis respectus dependentię ad aliquid, sine quo dependens non potest esse, idem est dependenti. Vndè de mente Scoti illa propriè distinguntur realiter, quorum vnum potest esse sine alio absque contradictione; sed si posteà de facto vnum posit esse sine alio propter aliquam rationẽ, hoc nihil obest distinctioni reali illorum: sic etiam scilicet absquè contradictione saltem pro eo tempore, quo est præmotio Diuina non possit intelligi dari & esse eiusmodi pręmotionem

& abs-

& absque eius termino; & econtrà non tamen sequitur esse identificata realiter adinuicem: Si verò quæratur, vndè est, quòd non possunt adinuicem separari? Respõdetur hoc esse, & prouenire ex natura ipsius præmotionis, quæ cùm sit ens respectiuum necessariò necessitate naturali requirit suũ terminum. Hinc est, quòd quãtùmcunquè necessariò relatiuum requirat ad sui esse suum correlatiuũ; ità quòd implicet esse abinuicem separata vt relatiua, nõ tamen sunt identificata realiter.

Patet etiam illã præmotionem esse realiter distinctam ab operatione causę secundæ, quia causa secunda passiuè se habet ad illam pręmotionem, cùm sit omninò independenter ab illa: sed respectu suæ operationis actiuè se habet; ergo si essent idem aliqua causa, ideſt voluntas merè passiuè se haberet respectu suę operationis, quod est Lutheranum.

Notandum est, quòd in hac Propositione nulla causa secunda potest operari, nisi præmoueatur à Deo, vel illa dictio exclusiua cadit, & determinat verbum, potest; & sic est falsa, quia tunc esset sensus quòd nulla causa secunda habet in se verum posse, & sufficientem actum primum operandi, quod falsum est: nam, vt suprà vidimus, omnis causa secũda à principio suæ productionis recipit à Deo virtutẽ, seu actiuam formam permanentem, vel sufficientem actum primum, quo simpliciter potest operari, vel cadit & determinat verbum operari, & sic vera; quia tunc sensus est fieri non posse, causam secundam actualiter operari, & tamen non promoueri à Deo, quod satis

abundè ſuperiùs probatum eſt.

Nota quòd eiuſmodi Diuina præmotio, quantùmcunquè non ſit qualitas, tribuit cauſę ſecundę aliquam virtutem operandi, non tamen per modum actus primi,ſed per modum complementi actus primi; ideſt faciendo quòd actus primus exeat in actum ſecundum,& tranſit cum ipſo actu ſecundo, ad quem ordinatur: vndè ad talem præmotionem non ſequitur niſi vnica numero operatio,ſicut per oppoſitum ad qualitatem actiuam & habitum poſſunt ſequi plures operationes; nam vt patet nulla qualitas & habitus determinat potentiam ad vnicā numero operationem, quemadmodùm eiuſmodi Diuina præmotio,quę nihil aliud eſſe videtur niſi complementum quoddam virtutis actiuæ, quo Deus verè, & efficienter facit, vt cauſa ſecunda de actu primo exeat in ſecundum, ad quod complementum, ſeu præmotionem ipſa cauſa ſecunda antecedenter ad actualem operationem merè paſſiuè ſe habet, in ſecundo ſigno poſteà operatur ſimul cū Deo: vndè ſequitur eiuſmodi præmotionem formaliter non conſiſtere in ipſo exitu actus ſecundi, quaſi verò Deus ſuo influxu iuuet cauſam ſecūdam in eo ſigno, in quo incipit agere & operari; ſed iuuat & præmouet illam ad operandum antecedenter ad exceptionem operationis.

Notandum eſt eiuſmodi præmotionem, ſiuè influxū Diuinum nullo pacto, vt aliqui affirmant,eſſe poſſe indifferens; quaſi verò Deus ità modo veluti indifferenti & generali applicet & offerat humanæ volūtati & alijs

cau-

causis secũdis suam virtutẽ, vt paratus sit ad concurrendum cum illis ad quidquid ipsę determinauerint, & effecerint: ità vt causę secundæ determinent & modificent Diuinum influxum tũ ad speciem actus in esse naturæ, tùm etiam ad bonitatem vel malitiam, quam potest habere in genere moris; ex eo quia cùm Diuinus influxus non in causam secũdam, sed in eius operationem tãtùm influat, non Diuinus concursus causas secundas determinat: immò econtrà Diuina influentia à causa secunda, scilicet liberum arbitrium, cum tali influentia ad operãdum concurrit, ex vario influxu liberi arbitrij prouenit, quòd sequatur potiùs volitio quàm nolitio, & volitio honesti potiùs quàm turpis obiecti; & consequenter quòd actiones voluntatis sint tales vel tales in particulari, studiosè vel vitiosè, ab ipsomet libero arbitrio prouenit. Non (inquã) Diuinum influxum eo pacto indifferens esse potest, tùm quia ex aliquo indifferenti non potest sequi determinata actio, nisi ab aliquo alio inclinetur & determinetur ad vnum; ergo si influxus Dei esset secundum se indifferens ad vtrumlibet, sequitur quòd ab aliquo alio determinatur ad hũc effectum, & sic habebit causam priorem, quod est absurdum: nam si prima causa secundũ se indifferenter applicat suã voluntatem, & concursum ad eos actus producendos cũ causis secundis, ad quos ipsę causæ secundæ ex necessitate naturæ, vel per suam liberam voluntatem applicatur: ergo ipsa causa prima non se determinat ad hunc effectum in particulari, ac per consequens determinatur ad

illum

illum à causa secunda, & consequenter dependeret à causa secunda. Tùm quia eiusmodi modus cócurrendi per voluntatem & influxum indifferentem ad istum vel illú effectú, vel ad eorum oppositum argueret in Deo maximam imperfectionem; quia in sua efficacia dependeret ex concursu & determinatione causæ secundæ, quę dependentia & omnis creatura, & quodcunque aliud omninò explodenda est à Deo, vt probat Scotus in 1. dist. 30. quęst. 2. sub lit. M. & hoc etiam dicit in 2. dist. 1. quęst. 1. sub lit. C. & in 1. dist. 39. sub lit. X. respondēdo ad primum principale. Tùm quia videretur, quòd Deus esset Auctor peccati, si eius concursus esset indifferens: nam esset indifferēs ad bonū, & malú, tùm etiā quia non vndequàquè perfecta ostenderetur eius prouidētia, ad quā requiritur, quòd determinatè velit, & prędefiniat Deus omnia, quę fiunt in tēpore, & ea ordinet in finē intētū ab ipso, & causas secūdas moueat, & applicet ad determinatos effectus in particulari pręordinando prędefinita media; vt infallibiliter assequatur finis intentus à Deo, & vt sciat non solùm quid causa secunda, & pręcipuè quid voluntas potest facere, quid faciat in particulari secūdum omnes circumstantias, & rationes existentię: quod secus esset, si eius concursus esset indifferens: voluntas pro sua libertate posset, & non posset operari, & cōsequēter Deus nesciret, quid ipsa in particulari esset operatura; immò liberum arbitrium eximeretur, & subtraheretur à Diuina prouidentia: nam dato quòd esset indifferens Diuinus concursus, pro sua liberta-

bertate, tunc liberum arbitrium vteretur illo magis operando nunc, quàm anteà; Deus per talem concursum non effecit verè efficienter, vt liberum arbitriũ influat hìc, & nunc in talem operationẽ in indiuiduo, ergo &c.

Notandum est nullam posse argui in Deo imperfectionem ex eo, quòd eius concursus determinatus est ad vnum oppositorum; idest quòd influendo in causas secundas ità determinet illas ad hunc actum, quòd non ad oppositum: nam vt dicit Scotus in primo dist. 39. sub lit. Q. tunc in scientia Dei respectu futurorum contingentium poneretur imperfectio, si ità esset vnius partis; quòd non posset esse alterius. Similiter etiam in voluntate Diuina si diceretur eam esse vnius obiecti, ità quòd non posset esse sui oppositi contradictorij: sed quia Deus ab æterno ità determinauit suo concursu immediatè influere in causas secundas, determinãdo illas ità ad hunc actum, quòd potuit determinare ad oppositum; igitur nulla sequitur imperfectio in Deo ex hoc, quòd dicitur eius cõcursum non esse indifferentem.

Notandum est, quòd ex hoc quod nos dicimus concursum, & influxum Dei in causas secundas non indifferentem, sed omninò determinatum ad vnum determinatione in esse, non autem determinatione de possibili: nõ contradicimus SS. Patribus & illis locis sacrę Scripturæ, nimirùm Eccles. 15. & Genes. 4. in quibus dicitur; *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilij sui &c. & sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illis &c.*. Et his similia: nam indè nihil aliud

liud colligitur, vt dicit Diuus Thomas 1. p. quæst. 22. art. 2. ad 4. *Nisi quòd non perficitur homini virtus operatiua determinata ad vnum sicuti rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm quasi ab altero directæ in finem; non autem seipsa agunt quasi se dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt &c.* Immò multùm probabile est Deum consultò, & de industria voluisse multotiès exprimere in sacra Scriptura facultatem, & potestatem nostri liberi arbitrij; quia præuidebat nonnullos hæreticos (sicuti fuit Lutherus; & Caluinus) dicturos nostrum liberum arbitrium esse tanquàm inanime quoddam, ità vt non tantùm passiuè se habeat ad præuiam motionem, & influxum, sed etiam merè passiuè se habeat ad operationem ipsam, & consequenter dicturos etiam Deum esse vniformiter Auctorem & boni, & mali, quod est maxima blasphemia. Et ideò Deus exprimens in sacra Scriptura liberam facultatē, & potestatem nostri liberi arbitrij, videtur quòd nimis amplum imperium, & dominium voluntati concedat: sed hoc non obstante nihil aliud intendit Scriptura, SS. Patres, & Doctores scholastici, nisi quòd quantùmcunquè Deus prędeterminet voluntatem ad vnum, & præmoueat efficaciter ipsā ad illud vnū operandum; nihilominùs remanet tàm ex parte Dei, quàm ex parte voluntatis indeterminatio de possibili, & non merè passiuè se habet ad operationē suam, immò sua propria intrinseca virtute, & facultate libera effectiuè concurrit ad suam operationem per delibera-

bera-

berationem seipsam mouẽdo, & determinando tanquàm proximum determinans, & mouens sua prędestinatione primi determinãtis omnia. Et hoc est illud, quod dicit D. Augustinus, quòd *nihil tàm in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas &c.* Et hoc etiã est illud quod probat, & dicit Scotus in primo dist. 1. in tota quęstione 4. scilicet voluntatem nostrã etiam eleuatam ab habitu charitatis nõ necessariò frui obiecto sub quacunquè ratione, & quomodòcunque sibi pręsentato: quod est intelligendũ vel de necessitate naturali, quia si sic voluntas frueretur vltimo fine, tunc non haberet in sua potestate actionẽ suam, sed merè passiuè se haberet ad illã; vel (& est magis ad mentẽ eius) de necessitate simpliciter, & absoluta, qua necessitate Deus amat seipsum, & quòd hoc secũdo modo intelligat Scotus voluntatem nostram nõ frui necessariò vltimo fine: potest colligi ex præcitato loco primo dist. 1. quæst. 4. respondendo ad vltimum principale, vbi dicit volitiones nostras nõ pręsupponere in voluntate aliquam volitionem immobilem, qua voluntas immobiliter adhęreat vltimo fini; nam vt etiam dicit ipse in primo dist. 1. quęst. 5. §. *Dico ergo &c.* & §. *Ad propositum applicãdo &c. Sola voluntas Diuina immobiliter, & necessariò adhæret primo & per se naturæ Diuinæ, quia non participatione alicuius alterius à se, non per habitum, non per actum differentem à se, & nequè in virtute alterius causæ superioris perfectissimè amat illud summum bonum, & necessariò &c.* Et subdit; *Quòd in secundo gradu est voluntas creata beata, idest non adhæret vo-*

luntas creata beata vltimo fini immobiliter, & necessariò immobilitate scilicet, & necessitate simpliciter & independēti; & licet per se adhæreat vltimo fini, quia per formam suā intrinsecam adhæret huic bono, tamen non primò adhæret, sed participando à Deo &c. Vndè colligitur, vt patet ex Scoto in 4. dist. 49. quæst. 6. sub lit. D. & in 3. dist. 15. quęst. vnic. sub lit. D. voluntatem nostram non necessariò frui vltimo fine, loquendo scilicet de necessitate naturali, vel de necessitate simpliciter & absoluta: sed frui tamē necessariò necessitate secundum quid dependenti participata, & extrinseca, quia hoc habet extrinsecè ab ipsa voluntate Diuina; & hoc vult dicere Scotus in præcitato loco, quando dicit: *Adhæret firmiter huic bono, & hoc quia facta est quasi intrinseca volūtati primò quiescenti &c.*

Hoc idem etiā dicit Scotus in 4. dist. 49. q. 10. sub lit. F. vbi ait: *Dico ergo quòd voluntas sic determinatur ad volendum beatitudinem, & ad nolendum miseriam, quòd sic eliciat aliquem actum circa ista obiecta, necessariò & determinatum elicit actum volēdi respectu beatitudinis & nolendi respectu miseriæ; non tamen absolutè determinatur ad vnū actum eliciendum, vel alium &c.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur voluntatē necessitari à beatitudine, ità vt respectu illius necessariū & determinatū eliciat actū; sed non necessitate naturali vel absoluta, vt patet ex Scoto in 4. dist. 49. quæst. 6. sub lit. D. vbi habet hæc verba: *Quòd licèt intellectus naturali necessitate videat obiectum, tamen voluntas non naturali necessitate fruitur illo obiecto viso, neque etiam illa necessitas videndi est simpliciter necessitas,*

tas; sed tantùmmodò necessitas, si obiectum præsens moueat, & istud est sic merè contingens, quia obiectum illud voluntariè & contingenter mouet quẽcunquè intellectum creatum, sed etiam voluntas contingenter fruitur illo viso contingenter &c. Sicuti volũtas Diuina respectu essentię Diuinę, sed solùm necessitate quadam participata & extrinseca, nec etiam determtnatur absolutè eliciendum hunc actum; sed solùm vt ipse dicit in 16. quæst. Quodl. sub lit. V. D*eterminatur necessariò ad hunc actum eliciendum necessaria determinatione, quò ad exclusionẽ indeterminationis ad vtrũlibet &c.* Et quòd voluntas nostra non necessitetur prędicto modo necessitate absoluta, clarè patet ex ipso in pręcitato loco 4. vbi respondens ad illam propositionem; scilicet: *Illud in quo non est defectus boni, vel ratio mali, est necessariò volitũ,* negat eam, & antequàm assignet rationem negationis dicit; *quòd voluntas respectu cuiuscunquè actus est libera, & nullo obiecto necessitetur &c.* Et hoc non obstante subdit: *Non tamen potest voluntas nolle, aut odisse beatitudinem, nec velle miseriã &c.* Ex quo subiungit ipse: *Quòd non debemus inferre, ergo voluntas necessariò vult beatitudinem; sed ex hoc antecedenti volũtas non potest nolle obiectum, in quo non est defectus &c.* Dicit; *Quòd non debet inferri, nisi; ergo voluntas non potest resilire ab obiecto, in quo nulla est miseria, nec defectus boni; ergo non potest voluntas odire & detestari beatitudinem, quod est verum: sed ex hoc non sequitur, quòd necessariò velit beatitudinem &c.* Hoc idem etiam colligitur ex primo dist. 1. quæst. 4. in responsione ad tertium pro opinione,

vbi in fine explicans in quo consistat libertas voluntatis, habet hęc verba: *Ideò dico, quòd libertas est sui respectu sui sic quantùm ad actus determinationem &c.* Ex quibus verbis non obscurè colligi potest rationem formalem libertatis volũtatis consistere in determinatione actus, quod nullo pacto competere potest causæ naturali; ex quo infertur voluntatẽ nostram quantùmcunquè prædeterminetur à Deo ad hoc faciendum ex eo, quòd cũ ipsa iuxta exigentiam suæ liberæ naturæ cõcurrit ad operandum, & ex eo quòd ipsa etiam se determinat ad operandum semper liberè operari. Et hinc est, quòd voluntas Diuina dicitur liberè amare essentiam Diuinam, quantũcunquè necessitetur necessitate absoluta amare illã ità determinãdo se ad hunc actum, vt omninò secludatur ab ipsa voluntate indeterminatio de possibili respectu talis actus, vt patet ex Scoto in 4. quęst. Prolog. sub lit. R. Ex hoc (inquam) volũtas Diuina liberè amat essentiam suam; quia nihil aliud ab ipsa est sufficiens determinatiuum sui, quòd sit causa sufficienter actiuè determinãs illam ad actum: sed ex perfectione & rectitudine sua, & propter firmitatem libertatis suę quantùmcunquè necessitetur etiam ex infinita bonitate obiecti, sibi ipsi necessitatem imponit in eliciendo actum & in perseuerando, siuè figendo se in actum; ità vt illa necessitas intelligatur cadere sub voluntate, scilicet quòd concomitetur, non autem præueniat voluntatem, quia si voluntas præueniretur à tali necessitate tanquàm impellente in actum, & figente in actu voluntas ageretur, &

non

non ageret, nec ſtaret in tali actu libertas. Hęc omnia collecta ſunt ex Scoto in 4. quæſt. Prolog. ſub lit. Q. in primo diſt. 10. quæſt. vnica ſub lit. N. & in 16. quæſt. Quodl. ſub lit. N.

Sed cõtra hoc poſſet quis arguere tali pacto, ſi voluntas non pręuenta à neceſſitate ducit ſe, & non ducitur; ergo præuenta à neceſſitate ad eliciẽdum actum ducitur & non ducit ſe: ſed voluntas Beati præuenitur à volũtate Dei, vt ſemper continuet actum fruendi; ergo volũtas Beati reſpectu actus fruitionis ducitur & non ducit ſe, quod eſt contra Scotũ in primo diſt. 1. quæſt. 4 & in quarto diſt. 49. quæſt. 6. 9. & 10. & alibi ſæpè. Maior patet cum ſua conſequentia, minor eſt Scoti in 4. diſt. 49. quæſt. 6. ſub lit. G. vbi habet hęc verba: *Sed per cauſam extrinſecam eſt impoſsibilis potentia illa propinqua ad peccandum, videlicet per voluntatem Dei præuenientem illam voluntatem: vt ſemper continuet actum fruendi &c.* Ex quibus verbis colligitur Scotum aſſerere Michaelẽ Angelum nunc beatum, ideò non poſſe peccare de potentia propinqua, quia eius voluntas præuenitur à Deo, vt ſemper continuet actum fruitionis; ſi igitur pręuenitur à Diuino iufluxu, vt continuet actum, neceſſitatur ergo ſimpliciter ad continuãdum actum. Confirmatur ex eodemmet Scoto in eodẽ loco, vbi ait: *Siquidem nunquàm cauſa ſecunda præuenta à cauſa ſuperiori agente ad vnum oppoſitum, poteſt potentia propinqua exire in aliud oppoſitũ &c.* Ex quibus verbis ſi expendatur illud, quo dicitur cauſa ſecunda, nunquàm poteſt potẽtia propinqua exire in aliud oppoſitũ,

liqui-

liquidò constabit in Beatis omninò destrui libertatem ex hoc, quòd eorum voluntates præueniuntur à voluntate Diuina ad continuandum actum fruitionis; quia videtur, quòd Scotus neget in illis indeterminationem de possibili dicendo, nunquàm potest, quod non contigisset, si dixisset, causa secúda nunquàm exibit de facto in aliud oppositum.

Huic difficultati facilè respondeo ex eodemmet Scoto ibidem, qui postquàm sub lit. F. dixit, quòd causa perpetuitatis fruitionis non est forma beatitudinis, quasi per ipsam beatitudo formaliter sit necessaria, nec natura potentiarú illarum, quasi circa obiectum necessariò operentur, nec habitus in potentijs quasi necessariò determinans potentias ad operandum: sed est aliqua alia causa extrinseca; scilicet voluntas Diuina, subdit sub lit. G. *Sic dico, quòd nulla est causa in voluntate Michaelis nunc Beati, per quam excludatur à potentia ad peccandum pro aliàs in sensu diuisionis; nõ est autem causa intrinseca, prohibens istam potentiam omninò reduci ad actum &c.* In quibus verbis non obscurè confitetur in voluntate Beati remanere indeterminationem de possibili ad oppositum actum, quantùmcunquè prçueniatur, ac determinetur à voluntate Diuina ad continuandum actú fruitionis. Ad illud autem, quod adducitur ex 16. Quodl. sub lit. N. vbi dicitur voluntatem Dei non prçueniri ab aliqua necessitate respectu actus eliciendi circa essentiam Diuinam, quia tunc duceretur. Respondeo, quòd hoc iure optimo Scotus affirmat: nam benè sequitur, voluntas Diuina necessi-

cessitate preuenitur, vt eliciat actum suum; ergo volũtas Diuina ducitur. Consequentia patet, nam talem necessitatem præuenientem illã, vel haberet ab obiecto, vel ab intellectu Diuino, vel à notitia obiecti; quæ omnia sunt agentia naturalia, & tunc voluntas ageretur, quia vt suprà visum est, causa agens in quantùm mota eo pacto agit, quo mouetur, id est si mouetur à causa naturali naturaliter agit, si mouetur à causa libera liberè agit. Hinc sequitur, quòd predictus locus Scoti non contrariatur loco ex 4. quia quantùmcunquè voluntas Beati præueniatur & determinetur à voluntate Diuina ad eliciendum & continuandum hunc actum, semper liberè elicit & continuat, & ratio est; quia præmouetur, & prædeterminatur à causa superiori & libera, & quò magìs refert, præuenitur, prædeterminatur, & præmouetur ad eliciendum & continuandũ actũ fruitionis iuxta exigentiã suæ liberæ naturæ & facultatis: immò in tali præuentione, prædeterminatione ac præmotione voluntatis facultas Beati & non Beati præficitur in suo esse, & libertate, quod colligitur ex Scoto in præcitato loco 4. dist. 49. quæst. 6. sub lit. F. vbi habet hæc verba: *Sed ex sola voluntate Diuina, quæ sicut perficit naturam intensiuè, ità conseruat eam in tali perfectione perpetuò &c.* Sed hoc excellentissimè cõfitetur in eodem 4. dist. 19. q. 1. parum supra lit. D. vbi habet hæc formalia verba: *Hoc etiam cõgruit perfectioni causarum secundarum in esse morali, sicut causarum in esse naturali; Deus enim vniuersaliter non negat creaturis causalitatem, quæ potest eis competere:*

tere: immò & illam communicat, & ad earum actionem causis secundis assistit &c. Senté-tia hęc Scoti parijs est damādanda lapillis: non poterat enim excellētiori modo exprimere quantam perfectionem recipiant causæ secundę ex influxu causæ primæ in ipsis, & earum actionibus.

Ad confirmationem respondetur, quòd est magìs ad oppositum, quàm ad propositum: nam dicendo Scotus, nunquàm causa secūda præuenta à causa superiori agēte ad vnum oppositum, potest potentia propinqua exire in aliud oppositum, idem dicit, ac si dixisset, nunquàm causa secunda pręuenta à causa superiori agente ad vnum oppositum exit, siuè exibit in aliud oppositum; quia idem est aliud potentia propinqua posse exire in actum, ac de facto posse exire in actum, quia vt patet ibidé in quadam actione sub lit. I. tunc aliquid est in potentia propinqua ad operādū, quādo cōueniētia adsunt, & impedimēta cessāt: si dixisset, nō potest potentia remota &c. vtiquè argumētum concluderet, sed peroptimè dixit; non potest potentia propinqua &c. Nam non stat, immò implicat causam secundam præuenire, predeterminari & præmoueri à prima ad eliciendum hunc actum, & quòd secunda causa de facto posit exire in oppositū; de posibili tamen sibi id necessariò competit, & maximè si causa secunda est causa libera.

Sed contra illud quod dictum est, scilicet ideò voluntatem nostram non necessitari simpliciter ex pręuētione, predeterminatione, & pręmotione ad actū eliciendum & continuandum; quia hoc

hoc habet à causa superiori, posset argui, sicuti ibidē sub lit.H. arguit Scotus tali pacto: Si contra naturam voluntatis est, quòd habitus, vel aliqua alia causa inferior ad ipsam determinet eā; necessariò ergo etiam est cōtra eius naturā, immò multò magis si determinetur à causa superiori. Consequentia probatur, per causam inferiorem ad voluntatem tollitur eius indifferentia; ergo etiam immò multò magìs per causam superiorem, ergo si determinatio actiua inferioris causę ad voluntatē est contra eius naturam, ergo etiam immò multò magìs actiua determinatio superioris causę. Prima consequētia probatur, quia magìs determinat causa superior inferiorem, quā è conuerso; ergo superior determinans magìs tollit indifferentiam inferioris in agendo, quā si inferior determinaret. Cōfirmatur, quia supposita determinatione causę superioris, actio voluntatis non est in potestate eius; ergo tollitur eius indifferentia ad determinationem actiuā causæ superioris. Consequētia patet, antecedens probatur: nam nullum inferius, & maximè quod est determinatū habet in potestate sua illud, ad quod determinatur ab agente superiori, quia agit sicuti est motum, seu mouetur à determinante; igitur actio voluntatis sic prędeterminatę non erit laudabilis, seu imputabilis, nec propriè voluntaria, vt colligitur ex Scoto in 3.dist.13.sub lit.R. & parum infrà in responsione ad primum principale 4. quęst.

Pro responsione ad has difficultates, oportet diligēter animaduertere illam literam Scoti, in qua ipse ibidē

respondet eiusdemmet difficultatibus, quę litera sicut est difficillima, ità pretiosissimã continet doctrinam; & nisi legatur sicuti correcta est in nostro Scoto, est omninò imperceptibilis, quia videtur eo pacto, quo iacet nullũ facere sensũ: sed si legatur sicuti correcta est à me iuxta intentionẽ Scoti & veritatem, procul dubio facilè percipietur, quę sit ibi intẽtio Scoti.

Est igitur primò animaduertendum ex pręcitata litera Scoti, quòd duo consequentur necessariò liberam naturam volũtatis; ità quòd sunt sibi propria, & essentialia. Primum est, quòd voluntas in suo ordine causandi contingẽter & liberè causet, & talis contingentia (vt patet ibidem) voluntatis in suo ordine concludit & infert contingentiam simpliciter, idest sufficientem, veram & propriam effectus; quia cuiuscunq; causæ contingentia concludit contingentem effectum, vt per cõsequens simpliciter contingens est, quòd non peccet voluntas Beati: tamen nunquàm eueniet, quia causa superior semper pręseruat &c. Et quòd effectus dicatur cõtingens quantùmcunq; causa naturalis concurrat ad illum potest probari ex eo, quòd ex pręmissa necessaria & altera contingenti sequitur conclusio contingens. Secundum est, quòd ad hoc vt effectus, seù actus procedens ab alia sit omnimodè contingens; ità vt inter contingentiam eius, & contingentiam actus eliciti, sit omnimoda correspondentia, requiritur cõtingentia omniũ aliorum concurrentiũ ad effectũ omnium aliorũ, scilicet quę sũt inferiora ad ipsã voluntatem: vndè si est aliquid aliud à voluntate inferius ad

ipsam

ipſam concurrens ad actum eius, ſicuti eſt habitus exiſtens à voluntate, & concurrat merè contingenter, ſed aliquo pacto determinaret, aut neceſſitaret ipſum ad eliciendum actum, tunc non eſſet omnimoda contingentia, nec ex parte voluntatis; quia contra eius liberam naturam eſt, quòd determinetur & neceſſitetur ab inferiori ad ipſam: nec ex parte effectus, quia ſtante quòd voluntas eſſet ab inferiori determinata, tunc neceſſariò operâretur; & conſequenter in eius operatione nulla propriè eſſet contingentia, & hoc eſt, quod dicit Scotus in præcitato loco, quando dicit: *Repugnat autem libertati eius, quòd contingentia, quæ neceſſariò eſt ex parte ipſius, non ponat contingentiam ſimpliciter ibi, ideſt omnimodam quantùm eſt ex parte omnium inferiorum &c.* Et immediatè ſubdit, & aſsignat rationẽ, ſcilicet: *Quia tollit ipſam eſſe cauſam in ordine ſuperiori &c.* ideſt ſi contingentia, quę neceſſariò conſequitur, liberam naturam voluntatis non ponat etiam omnimodam contingentiam in quocumquè inferiori ad voluntatem cum ipſa concurrente ad actum; ſed aliquo pacto ab aliquo inferiori determinaretur voluntas, vtiquè tũc eijceretur volũtas ex ſuo ſuperiori ordine liberè operandi & ſubiret, & conſtitueretur in inferiori ordine naturaliter operandi.

Secundò notandum eſt ex eodémet loco immediatè inferiùs; quòd non repugnat voluntati, quòd contingentia eius nõ ponat contingẽtiam ex parte effectus ſimpliciter; ideſt omnimodam quantùm eſt ex parte cauſæ ſuperioris, quia cauſa ſuperior non determinatur ab ipſa

ſa &c. ideſt quòd licèt contingentia voluntatis nō ponat omnimodam contingẽtiam in effectu concipiendo illum in ordine ad cauſam ſuperiorem (non enim poteſt ponere omnimodam cōtingentiam in effectu, vt talis effectus dicit ordinem ad volútatẽ Diuinam, quia poſita prędeterminatione voluntatis Diuinæ reſpectu actus eliciendi à volútate voluntas neceſſariò elicit: ſed neceſſitas illa eſt neceſſitas conſequentiæ, & ſecundum quid; ergo vt effectus dicit ordinem ad primam cauſam contingentia voluntatis non ponit in eo omnimodā contingentiam) non tamen ſibi repugnat; ideſt hoc non eſt contra contingentiam abſolutam eius & effectus, quia illa neceſſitas, quæ ad prædeterminationem Diuinam conſequitur in illa & in effectu, eſt neceſſitas ſecundum quid, quæ compoſſibilis eſt cum contingentia ſimpliciter & abſoluta: ſicuti etiam contingentia ſecundū quid compoſsibilis eſt cum neceſsitate ſimpliciter, vt poteſt colligi hìc à Scoto, & in 16. quæſt. Quodl. ſub lit. M. breuiter ex prædictis omnibus poteſt colligi de mente Scoti primò, quòd eſt eſsẽtiale ipſi voluntati, quòd contingenter agat; ſecundò quòd ad hoc vt ſaluetur contingentia in voluntate & eius effectu voluntas, oportet vt ponat omnimodam contingentiam in omnibus ad illam inferioribus cōcurrentibus ad effectum, aliter egrederetur à ſuo ſuperiori ordine cauſandi; tertiò quòd oportet quòd volūtas ponat omnimodam cōtingentiam in effectu, vt talis effectus dicit ordinem ad ſuperiorem cauſam, tùm quia non eſt in poteſtate ſua; nam cau-

ſa

ſa ſuperior nullo pacto determinatur à cauſa inferiori, tùm quia neceſsitas conſequens in illa, & in eius effectu ad prædeterminationem & concurſum cauſę ſuperioris compoſsibilis eſt cum abſoluta contingentia ſua in operando.

DOCVEMNTVM V.

Reſpondetur difficultatibus.

His prænotatis, nunc faciliter reſpondeo ad primam difficultatẽ, negando conſequentiam; ad probationem reſpondeo etiam negando iterùm cõſequẽtiam, & dicendo ad probationẽ verè eſſe volũtatem magìs determinari à cauſa ſuperiori loquendo de determinatione quò ad excluſionẽ indeterminationis, quàm à cauſa inferiori: nam vt aliàs viſum eſt, omnis cauſa ſecũda abſoluto decreto Dei prædeterminata eſt ad hũc actum efficaciter in tempore, ab influxu Diuino præmouetur ità ad illum; quòd de facto & in ſenſu compoſito nõ poteſt in oppoſitum: ſed falſum eſt, quòd voluntas magìs determinetur à Deo determinatione naturali oppoſita determinatione contingenti; Deus enim cùm ſit ſuperior cauſa, ad voluntatem liberè operans ad extra, & omnia potens prædeterminat omnes cauſas iuxta exigentiam propriarum naturarum: ſi cauſa libera eſt, prędeterminatur & cõcurrit cũ illa iuxta liberam ſuam naturam; ſi verò naturalis eſt, econtrà fit. Illud autem vt colligitur ex Scoto in 4. diſt. 49. quęſt. 10. ſub lit. D. quod eſt inferius ad voluntatem, & quod cum illa concurrit ad eius operationem, cùm quidquid ſit, ſit agens natu-

naturale: si determinaretur voluntas ab eo, vtiquè destrueret suam indifferentiam & libertatem; quia cùm nemo det, quod non habet, illud tale inferius ad voluntatem non posset determinare volũtatem iuxta exigentiam suæ liberæ naturę, & consequenter determinando eã opposito modo, destrueret suam indifferẽtiã. Repugnat ergo voluntati, quòd determinetur in suo ordine contingenter causandi, & nihil aliud sibi primum repugnat, quæ repugnãtia nullo pacto prouenit sibi à causa superiori prędeterminãte & promouente illã iuxta liberam suã naturã; quod vtiq; accideret sibi, si à causa inferiori prædeterminarerur. Et hinc est, quòd Scot. in præcit. loco 4. sub lit. F. negat voluntatem Beati determinari ad continuandum actum fruitionis ab aliquo alio à voluntate Diuina; quia illud aliud necessitaret voluntatem Beati.

Ad confirmationem respondeo distinguendo antecedens, scilicet supposita determinatione Diuina, actio voluntatis nostræ non est in potestate eius, quò ad determinationem oppositam, seu quò ad exclusionem illius, vel quò ad primò primã determinationem, & verum est antecedens: nam actio volũtatis nostrę supposita prædeterminatione Diuina non est in potestate nostra, ità vt volũtas nostra posit oppositũ determinare de facto, aut elicere actũ oppositũ prędeterminationis Diuinę; quia vt habet Scot. in 1. dist. 40. q. vn. sub lit. D. & in 1. dist. 17. q. 2. supra lit. H H. dicit: *Quia causa secunda semper sequitur motionem causæ primæ, nec potest moueri ad oppositum illius, ad quod causa prima mouet &c.* Non potest stare ordinatio

natio Dei cũ oppoſito eius, quod ordinauit, nec eſt in poteſtate noſtra actio voluntatis noſtrę quò ad excluſionem illius; quaſi verò ſuppoſita prædeterminatione voluntatis Diuinę reſpectu volitionis noſtræ poſsit voluntas creata excludere & impedire Diuinum propoſitum, vel infallibilem & immutabilem euentũ & executionẽ illius: non (inquam) ſic eſt in poteſtate noſtra nec prædeterminatio Diuina, nec actio noſtra iuxta illud Eſther. 13. *Nec eſt, qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati, ſi decreueris &c.* Nec eſt in poteſtate noſtra actio noſtra, quò ad primam determinationem & fundamentalem: nam vt ſuprà viſum eſt, Deus ab æterno prædeterminauit omnia futura contingentia; ſi verò intelligatur antecedens quòd ſuppoſita prędeterminatione Diuina actio voluntatis noſtrę non eſſet in poteſtate eius: quaſi verò merè paſsiuè ſe habeat ad actionem ſuam, ità quòd nullo pacto ipſa actiuè concurrat etiam ſeipſam determinãdo ad operationem; falſum eſt antecedens, nam vt ſuprà demõſtratum eſt ex multis locis Scoti, & præcipuè in. 16. quæſt. Quodl. parum ſupra lit. V. *Ipſamet voluntas eſt tale actiuum, quòd ſeipſam determinat in agendo &c.* Immò vt patet ex Scoto in 4. diſt. 19. quæſt. 1. ſub lit. C. Deus non negat creaturis cauſalitatem, quæ poteſt eis competere, & creaturę in earum actionibus redduntur perfectiores ex influxu Diuino. Et hac diſtinctione antecedentis pręmiſſa negatur tunc conſequentia, antecedens probationis exponatur ſicuti primum ãtecedens ad illud quod dicitur, quòd voluntas noſtra mouet ſicuti

mota,

mota, & quòd mouetur à determinatione ipsa ad mouendum: respondeo hoc verum esse; sed hoc tamen fieri absquè prçiudicio actiuitatis contingentiæ, & libertatis eius. Ad illud quod vltimo infertur, scilicet actionem voluntatis non esse sibi imputabilẽ, respondet Scotus in 4. dist. 49. quæst. 6. sub lit. R. quòd sibi imputabilis est pro quanto ipsa voluntas in suo ordine contingenter se determinat, idest ità se determinat, quòd potest se determinare; quia vt dicit Scotus in primo dist. 2. quæst. 2. parùm supra lit. S. *Illud est contingens, cuius oppositum posset fieri, illud fit &c.*

Sed contra id quod suprà dictum est, scilicet non fieri præiudicium nostræ libertati ex hoc, quòd à Deo determinatur ad vnum, quia semper remanet indeterminatio de posibili tùm in Deo, tùm etiam in voluntate nostra, est Scoti in 4. dist. 44. quæst. 2. præcipuè sub lit. L. vbi habet hæc verba: *Illa autem detentio in consideratione intentissima ignis impedit primam libertatẽ &c.* Ex quibus verbis, & etiam in tota illa quçstione Scotus vult fieri præiudicium libertati Dçmonum ex hoc, quòd à Deo detinentur, & determinantur in consideratione ignis & apprehẽsione illius: & hæc est maxima pœna, quam patiuntur, quia ex tali consideratione impeditur in eis vsus liber eorum volũtatis, & tamen non obstante quòd determinentur ad hanc numero considerationem & apprehensionem, adhuc remanet tùm in Deo, tũ in illis indeterminatio de possibili, & tamen cùm hoc fit prçiudicium eorum libertati; ergo à simili fit etiam præiudicium nostrç liberta-

ti &etiam Beatorum ex hoc, quòd à Deò determinantur in consideratione & apprehensione volitiua illius obiecti infiniti, siuè ex hoc quòd nostræ voluntates prædeterminantur, & præmouentur ad vnum.

Huic difficultati respōdetur negando similitudinem, & ratio negationis est; quia Deus detinet & determinat Dæmones in consideratione & apprehēsione ignis vt obiecti disconuenientis contra eorum naturalem inclinationem, secundum quam ipsi appetunt liberum vsum potentiæ volitiuæ, vt dicit Scotus in præcitato loco 4. parùm supra lit. D. scilicet: *Et ad istud nolle inclinat effectio commodi, secundum quam appetit liberum vsum potentiæ &c.* idest quia Angelus malus habet nolle detineri perpetuò ab igne, & specialiter sub ista ratione ex sententia Diuiua, vel vo luntate Diuina illic effectiuè detinente, & ad illud nolle inclinat ipsum sua effectio commodi, secū-dum quam effectionem; idest iuxta & correspondenter ad quam affectionem habendi commodum, seu obiecta commoda, & conuenientia ipse appetit liberum vsū potentiæ, idest quòd sicut ipse indifferens est ad quodcunquè corpus & obiectum conueniens: sic ex innata sua libertate vellet se facere præsentem cuicunquè corpori, & non tamen igni, & vellet habere obiecta sibi cō-uenientia, & non potest, quia prohibetur; vndè necessitatur simpliciter, quia ad talem cōsiderationem & apprehensionem ignis vt obiecti disconuenientis ipse non concurrit actiuè. Et hæc forsan est inentio Scoti ibidem sub lit. N. vbi respondens ad quandam obiectionem, quę

videbatur inferre esse in potestate Dæmonum tristari, vel non tristari, habet hæc formalia verba: *Ad aliud nõ est in potestate eorum illud nolle, vel non nolle sicut tangetur de continuatione mali actus in eis, cuius causa fortè est actio de cõtinuatione causæ superioris agẽtis ad aliquod vniforme in eis propter demeritũ præcedẽs, ad quod vniforme sequatur vniformiter afflictio eorũ, & propter hoc nõ potest aliquis remissiùs nolle, quàm modò nolit; quia sicut non est in potestate eius actus, ità nec modus actus: & sicut causa superior vniformiter agit ad nolle, propter quod causa inferior non potest difformiter agere ab ipsa; ità vniformiter agit ad intentionem huius nolle &c.* Ex quibus verbis videtur prima fronte posse colligi Dæmones non concurrere ad actiuè considerationem & apprehensionem obiecti disconuenientis: sed reuerà non ità est, quod liquidò claret, si expendatur in fine prædicti loci illud verbum actiuum, agit, ex quo non obscurè colligitur Scotũ velle Dęmones actiuè cõcurrere ad eorum afflictionem.

Sed quidquid sit de hoc præcipuè vsus liber, seu ipsa libertas impeditur in Dæmonibus ex eo, quòd determinantur & detinentur in consideratione & apprehensione ignis cõtra eorũ naturalem inclinationem: Ex qua detentione in cõsideratione intentissima ignis, vt dicit Scotus ibidem sub lit. L. *Ideò impeditur in eis prima libertas, quia per hoc impeditur intellectus eorum perfectè considerare alia considerabilia; sed detentio definitiua ab igne non impedit nisi secundam, scilicet liberum vsum potentiæ motiuæ, vt non possit*

se fa-

ſe facere præſentem cuicunquè corpori &c. Non ſic verò ſe habet Deus reſpectu voluntatis Beatorum & viatorum, quia quantùmcunquè illorum & iſtorum voluntates detineãtur ad vnum; quia tamen detentio & prædeterminatio eſt, & fit iuxta eorũ liberam naturam & exigentiam ſuæ naturalis inclinationis, ità vt ipſi etiam ſe determinent ad prędeterminationem Diuinam, & actiuè concurrant ad actum. Hinc eſt, quòd nullum fit præiudicium eorum libertati, ſicut fit libertati Dæmonum; qui licèt actiuè concurrant ad conſiderationem & apprehenſionem ignis per voluntatem; quia hoc totum fit contra affectionem commodi, ſeu naturalem eorum inclinationem, dicuntur carere prima libertate. Hinc colligitur parùm referre, vt ſaluetur libertas in aliquo, quod remaneat in illo & in prædeterminãte indeterminatio de poſſibili; quia vt patet in Dæmonibus detentis definitiuè in igne, & in conſideratione, & apprehenſione illius remanet indeterminatio de poſſibili, & etiã in Deo detinente: & tamen hoc non obſtante adhuc fit præiudicium eorũ libertati, ſed oportet ad hoc vt ſaluetur libertas alicuius prædeterminati ad vnum; quòd prædeterminatio ſit iuxta eius naturalem inclinationem, ita vt non dicatur cogi.

DOCVMENTVM VI.

Soluens vnam difficultatem.

SEd incidenter hìc quæritur, quid Scotus intelligat in præcitato loco per primam & ſecundam libertatem? Pro cuius explica-

tione notandum est, quòd voluntas est Regina potentiarum in Regno animæ & corporis insimul; vndè ipsa potest imperare potentijs omnibus exceptis vegatiuis, & quibusdam alijs, vt potest colligi ex Scoto in 4. quæst. Prologi parùm supra lit. B. sed etiam potentię vegetatiuæ sunt quodãmodò in potestate voluntatis quatenùs scilicèt potentiæ vegetatiuæ, vt patet ex Scoto in 2. dist. 42. sub lit. P. respondendo ad quęstionem tertiã, vbi tractat quomodò operationes aliarum potentiarum sunt in potestate voluntatis, dependent à potentia motiua, quę vt patet ibidem, & pręcipuè sub lit. N. est, in obiecta seruili respectu voluntatis; ex quo infertur omnes potentias humanas dependentes in suis actionibus à potentia motiua, cui volũtas dominatur dominio disposito eodem dominio esse subditas voluntati. Ex eo igitur quòd voluntas est imperatrix omnium aliarum potẽtiarum etiam potentię intellectiuæ, vt patet ex Scoto in primo dist. 3. qu. 7. sub lit. X. in 2. dist. 25. quæst. vnica in responsione ad vltimum, & in eodem 2. dist. 42. sub lit. D. sed intellectus nõ subest voluntati, nisi quò ad secundam intellectionem, vt patet ibidem in 2. dicitur esse libera quatenùs ad libitũ potest illis vti & imperare; & ex opposito nõ dicitur esse libera, si impeditur in illa liber vsus potentiarũ: immò quò potentia, respectu cuius in ipsa impeditur liber vsus, est noblior; eò dicitur magìs impediri eius libertas, & quia inter potentias subditas voluntati intellectus est potentia nobilior, vt patet, ergo si respectu potentiæ intellectiuæ impeditur in volun-

volũtate liber vſus, ità quòd ſuo beneplacito non poſſit vti illa, & cõuertere ad quęcumquè intelligibilia, multò magìs dicitur impediri libertas voluntatis, quàm ſi eius liber vſus impediatur reſpectu cuiuſcunquè alterius potentiæ ab intellectu. Hinc eſt quod Scotus dixit, detentionem in conſideratione intentiſſima ignis impedire in Dęmonibus primã libertatem, detentionem verò definitiuam ab igne impedire ſecundam; quia ex eo quòd intellectus eſt prima inter potentias ſubditas voluntati, in illo ergo dicitur impediri prima libertas, qui non poteſt habere liberũ vſum potentiæ intellectiuæ: ex eo verò quòd aliæ potentiæ dicuntur ſecundæ in cõparatione ad intellectum, in illo igitur dicitur impediri ſecunda libertas, qui nõ poteſt habere liberum vſum ſecundarum potentiarum; & hæc eſt germana intentio Scoti in pręcitato loco 4. nõ enim debet intelligi, quòd ex priuatione liberi vſus potẽtię intellectiuæ in Dæmonibus deſtruatur prima libertas, ideſt indifferentia voluntatis: nam cùm illa, vt patet ex Scoto in mille locis, ſit de eſſentia voluntatis; non poteſt deſtrui, remanente voluntate.

DIFFIC. ALIA.

SEd contra hoc poteſt eſſe dubium; nam voluntas de mente omniũ Theologorum non poteſt cogi, & aſſignatur ratio; quia violentari & cogi idem ſunt, & violentari, vt patet ex Scoto in prima quæſtione Prologi reſpõdendo ad queſtionem, eſt recipere aliquid contra naturalem inclinationẽ, ergo malè dictum eſt voluntatem

Dæ.

Dæmonum detineri à Deo in consideratione ignis contra eorum naturalem inclinationem; quia tunc violentaretur, quod est falsũ, quia cùm violentari & cogi idem sint, si voluntas non potest cogi, nec etiam potest violentari: immò probatur, quòd voluntas non potest violentari, & consequenter nec cogi, quia voluntas nihil potest recipere contra suã naturalem inclinationem; ergo non potest violentari, consequentia patet ex definitione violentari. Antecedens probatur, quia voluntas vel recipit velle, vel nolle, vel aliquem habitum ad quę omnia habet naturalem inclinationem; ergo nullo pacto potest violentari.

Huic difficultati facilis est responsio, si aduertatur duplicem esse inclinationem naturalem in voluntate altera, quæ idem est, quòd potentia passiua voluntatis & contra hanc naturalem inclinationem verũ est, quòd voluntas nihil potest recipere, & consequenter nõ violentari, & ratio est; quia voluntas habet naturalem inclinationem, idest potentiã passiuã ad omne illud, quod potest recipere, quod nihil aliud est nisi actum, vel habitum: altera verò idem est, quòd affectio commodi secundum quam voluntas inclinatur ad recipiẽdum perfectiones; & contra hanc inclinationem potest recipere aliquid voluntas eliciendo aliquem actum, qui est contra illud, ad quod affectio commodi inclinat & tendit, & hoc vult dicere Scotus in 4. dist. 44. quæst. 2. parum supra lit. D. quando dicit: *Et ad istud nolle inclinat affectio commodi, secundum quam appetit liberum actum potentiæ &c.* & in pręcitato loco sub lit. H.

lit.H.dicit: *Tertiò odit, & sicut priùs istud odium oritur ex affectione commodi, ex qua vult quodcunquè obiectum pro vt sibi delectabile fuerit considerare hoc, & nunc illud &c.* Vel saltem voluntas dicitur violentari ex eo, quòd non potest vti potentijs sibi subditis ad exercendum operationes circa illa obiecta, atq; ipsa inclinatur ex affectione commodi.

Sed contra hanc distinctionem inclinationis naturalis est Scotus in 3.dist.17. quæst.vnica in responsione ad vltimum, vbi habet hæc verba: *Vndè naturalis voluntas non tendit, sed est ipsa tendentia, qua voluntas absolutè tendit, & hoc passiuè ad recipiendum; sed est alia tendentia in eadem potentia, vt liberè & actiuè agat, & tendat eliciendo actum, ità quòd in vna potentia est duplex tendentia actiua & passiua &c.* Igitur si effectio commodi nihil aliud est, quàm tendentia & inclinatio passiua; ergo nulla est differentia inter affectionem commodi, & potentiam passiuam voluntatis, vt patet; igitur nihil ad propositum præfata distinctio.

Ad hoc respondeo negãdo idẽ esse primam & secũdam inclinationem naturalem, & concedendo id, quod dicit Scotus, scilicet affectionem commodi nihil aliud esse, nisi tendentiam passiuam: sed non idem debet inferri esse idem cũ potentia passiua, & ratio est, quia vt colligitur ex Scoto in primo dist. 1. quæst. 1. in responsione ad vltimum; in materia prima sunt tot potentiæ passiuæ, quot sunt formæ, ad quas naturaliter inclinatur, vt peroptimè aduertit Lichetus: & tamen vna non alia formaliter, ergo etiam

poten-

potentia passiua voluntatis non est eadem formaliter affectioni, siuè appetitui commodi voluntatis; quia appetitus licèt sit tendentia passiua, & non dicat actum elicitum, vt patet ex Scoto in pluribus locis, & præcipuè in præcitato loco 3.& in eodem dist.18. q.vnica parum supra lit. M. tamen hoc non obstante addit aliquid aliud supra potentiam passiuam, scilicet quendam motũ naturalem. Prima enim inclinatio nihil dicit, nisi potentiam passiuam; secunda verò dicit potẽtiã,passiuã &motum quẽdã naturalẽ. Et hæc videtur esse intentio Scoti in prçcitato loco 3.q. 18. parũ supra lit. M. vbi loquens de eiusmodi affectione commodi, seu motu naturali, qui idem est;habet hçc verba:*Et ideò in Dæmonibus manet ille locus sic rectissimus, sicut & natura; quia non est realiter aliud à voluntate,licèt non sit idem sibi formaliter, vndè ille motus non est, nisi habitus motus, idest naturæ in esse primo, ergo &c.*

DOCVMENTVM VII.

DOcens nostram voluntatem dependere à prima causa non solùm in volẽdo simpliciter ità, quòd non potest habere exercitiũ actus secũdi nisi præmoueatur & applicetur à Deo, sed etiam in sic, & sic volendo: & hęc est expressa sententia Scoti in pluribus locis, & prçcipuè in 4.dist.48.quæst. 1.sub lit.D. vbi explicans: *Quòd iudicare principaliter in iudicio futuro non competit Christo,secundum quod homo aduertit, & dicit intellectum animæ Christi subordinatum esse Diuinæ veritati in dictando & maximè de illis, de quibus non potest esse certa dicta-*

ctio,

tio, nisi ex regulis determinatis à voluntate Diuina contingenter se habente ad eas cuiusmodi sunt omnia, quæ spectant ad beatitudinē iudicatorum; voluntas etiam ipsius est subordinata voluntati Diuinæ rectè volendo, & quantùmcunquè efficaciter velit aliquid illud imperando sic, quòd per suum imperium illud eueniat, subordinatur necessariò voluntati Diuinæ, quia illa voluntas animæ Christi non est omnipotens &c. Ex quibus verbis obscurè colligitur intellectum nostrū nihil posse dictare, nisi dependenter à prima veritate & nihil posse voluntatem nostram efficaciter velle, nisi dependenter etiam à volūtate Diuina; sed hoc non obstante, quod voluntas creata in volendo dependeat à voluntate Diuina, adhuc ipsa etiam determinat se in suo ordine quantùm est sibi possibile ad eliciendum actum volitionis, & hoc expressit Scotus in præcitata quæstione parum suprà, & sub lit. F. vbi dicit: *Vt sic persona illa habeat imperium efficax, cuius voluntas creata determinat euentum alicuius in suo ordine quantùm potest, hoc modo voluntas animæ Christi determinat subauthenticè siuè commissariè tali commissione; quòd licèt illa voluntas non imperet principaliter, sicut nec principaliter dominabitur: tamen benè imperat sicut habens dominium respectu imperati &c.* Ex quibus verbis si expendātur illa, in quibus dicitur, cuius voluntas creata determinat euentum alicuius in suo ordine, quantùm potest; absquè dubio comperietur Scotum docere voluntatem creatam etiam actiuè determinare aliquid quantùmcumq; prędeterminatum à voluntate Diuina, sed cum hac disparitate, sci-

licet quia voluntas Diuina, independēter, & principaliter determinat; voluntas verò creata subauthēticè, & commissariè, ideſt dependenter & minùs principaliter determinat: nam cùm dicit Scotus ibidem ſub lit. D. *Nihil dicitur principaliter agere aliquid, quod in agendo eſt cauſa ſubordinata alicui alteri principali &c.*

Sed aliquis poſſet hìc dicere quòd id, quod ſupradictum eſt, benè verificatur de Chriſto & de quocunquè alio Beato, qui ex eo quòd Deus præuenit eorum volūtates neceſſariò informantur regulæ ſuperiori, & conſequenter in quacūquè actione dependet à Deo; ſed non poteſt tamen verificari in nobis, quorum voluntates cùm non præueniantur à voluntate Diuina, poſſunt ex innata libertate velle quidquid ſibi placuit, & quomodò ſibi placuerit.

Reſpondeo, quòd hoc nihil eſt: nam inter viatores & Beatos in hoc, quòd volēdo dependent à Deo nulla eſt differentia, & ratio eſt; quia dependentia adeò eſt eſſentialis ipſi creaturæ in quocunque eſſe, ideſt in eſſendo & operando, quo impoſſibile eſt & contradictionem inuoluit eiuſmodi dependentiam poſſe tantillum variari per hunc vel alium ſtatum. Beati ſupra viatores ex præuentione Diuina nihil aliud addunt, niſi potentiam propinquam deficiēdi; vt ſupra viſum eſt; igitur id ipſum, quod affirmat Scotus de Chriſto iudicaturo viuos & mortuos, neceſſum eſt etiam de quocunquè alio affirmare, ſiuè ſit Beatus, ſiuè damnatus, ſiuè viator, ſiuè ſit in Purgatorio.

Inſuper quòd voluntas noſtra depēdeat à voluntate

Dei

Dei in ſic & ſic, ideſt in remiſsè & intensè volẽdo, patet ex Scoto in 4. diſt. 44. quęſt. 2. ſub lit. N. vbi excludendo quandam inſtantiam, in qua inferebatur eſſe in poteſtate Dæmonis non cruciari, habet hæc verba: *Sicut in poteſtate eius non eſt actus, ità nec modus actus; & ſicut cauſa vniformiter agit ad nolle, propter quod cauſa inferior non poteſt difformiter agere ab ipſa, ità vniformiter agit ad intentionem huius nolle &c.* Ex verbis liquidò patet creatam voluntatem dependere à volũtate Diuina in remiſsè & intensè volendo ex hoc, quòd actus non eſt in poteſtate voluntatis creatæ; quod non eſt intelligendũ, ſcilicet quòd ideò actus voluntatis nõ ſit in poteſtate eius, quòd ipſa effectiuè non concurrat ad illũ, & etiam ſe nõ determinando ſaltem ſecundariò: non (inquam) ſic eſt intelligendum, quia vt ſupra probatum eſt voluntas creata quantùmcumquè prędeterminetur, & pręmoueatur à Deo ad operandum ſemper actiuè concurrit ad actũ ſeipſam etiam determinãdo; ſed non eſt in poteſtate eius, quia non eſt volũtas creata, quę determinat actum & intentionem, vel remiſſionem actus: ſed voluntas Diuina hoc primò efficit ab æterno, & in tempore poſteà pręmouet, & applicat voluntatem ad operandum correſpondẽter ad prædeterminationem æternam; & voluntas creata quaſi ſecundariò in tempore ſeipſam determinet, & mouet ad operãdum correſpondenter ad prędeterminationem, & præmotionem Diuinam: ideſt quod volũtas creata ad illum tantùm actum & intentionem, vel remiſſionem illius ſe determinat & mouet; ad quem a-

ctum & ad cuius intensionem, vel remissionem Deus prędeterminauit illam ab æterno, & in tempore decreuit præmouere, & applicare.

Sed contra hoc potest argui, nam Scotus in pluribus locis habet quemlibet actũ posse esse intensiorem ex maiori conatu potentiæ elicientis illum; ergo actus voluntatis nostræ non necessariò, ideò est sic intensus, quia voluntas Diuina prędeterminauit, & præordinauit illum ad tantam intensionem, ergo voluntas nostra non necessariò dependet à Deo, vt intensè vel remissè velit.

Ad hanc difficultatem, quæ iuxta doctrinam Scoti non est parui ponderis. Respõdeo admittẽdo de mente eius actum voluntatis posse esse, immò de facto esse intensionem, si ex maiori actu eliciatur: sed negatur consequentia, & ratio negationis est; quia cùm conatus voluntatis nil aliud sit nisi vis & virtus ipsius, quę virtus est finita, & limitata, consequenter sicut dependet à Deo in simpliciter operando, sic etiam dependet ab illo in sic & sic operando: nam naturali, consequentia sequitur, voluntas nostra dependet à Deo in operando simpliciter; ergo voluntas nostra dependet à Deo in sic & sic operando, aliter ex opposito consequentis sequeretur oppositum antecedentis, quòd antecedens superius de mẽte Scoti, & iuxta veritatem satis abundè probatum est esse verum; ità quòd oppositum sit impossibile, & implicet contradictionem. Ad Scotum verò dicimus, quòd quando ipse dicit actum voluntatis esse intentẽsionem,

si ex

si ex maiori connatu eliciatur, verum dicit; non tamen excludit prędeterminationē, & præordinationem Diuinam.

Probatur etiam hoc de mente Scoti, quia vt in alia (quod probatum est vsque ad nauseam) Deus non cognoscit futura contingentia nisi in prædeterminatione suę voluntatis: tunc sic sicut est merè contingens, quòd voluntas operetur, sic etiam est merè contingens, quòd sic vel sic operetur; ergo sicut Deus prædeterminauit voluntatem operari, sic etiā prædeterminauit eam sic & sic operari. Prima consequētia patet, quia aliter Deus non cognosceret omnia cōtingentia in prædeterminatione sua.

Potest etiam iterùm probari de mente Scoti; ipse enim vult in pluribus locis, & præcipuè in 2. dist. 1. q. 6. sub lit. H. in 4. dist. 22. q. 1. sub lit. G. H. & I. & in eodem 4. dist. 50. sub lit. A. & B. & in 2. dist. 6. qu. 2. parùm supra lit. I. & sub lit. M. quòd Beatitudo datur correspondenter menti voluntatis creatæ; ità quòd ex præcitato loco 4. cuiuscunquè gradui meriti correspōdet proprius gradus gloriæ essentialis: sed omnia merita in ordine ad vitam æternam sunt præordinata à Deo; ergo etiā omnes gradus meritorum, ergo voluntas creata nihil aliud potest mereri, nisi illud quod est præordinatum à Deo, seu ergo voluntas creata nō plures gradus meriti, nisi illud quod est præordinatum à Deo, seu ergo volūtas creata non plures gradus meriti in ordine ad consequendam gloriam, quam præordinauit Deus; ergo voluntas creata non solùm à Deo dependet in simpliciter volendo, sed

etiam

etiam in sic & sic volendo. Prima consequentia patet, quia si simpliciter omnia merita sunt à Deo præordinata; ergo etiam omnes gradus meritorum, quia non est maior ratio de vno, quàm de alio. Secunda consequentia patet; quia si merita & gradus illorum sunt à Deo præordinati, sequitur quòd voluntas creata non potest habere plures gradus meritorum, quàm Deus præordinauit; quia vt patet ex Scoto in primo dist. 40. q. vnica sub lit. D. non potest stare ordinatio Diuina cum opposito eius, quod ordinauit. Vltima consequentia patet, probatur etiam illud, quod est subsumptum, scilicet: sed omnia merita &c. & probatio desumitur ex Scoto in primo dist. 41. q. vnica sub lit. A. vbi postquàm dixit Deum ex eo, quod est ordinatissimè volens priùs velle creaturæ beatificabili finē, idest beatitudinem, quàm ea quæ sunt ad finem, idest merita ad consequendam beatitudinem, subiungit: *Et quasi posteriùs vult sibi alia, quæ sunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illum finem; sed gratia, fides, merita & bonus vsus liberi arbitrij omnia ad istum finem sunt ordinata &c.* Et parùm supra lit. A. ibidem §. *Sed contra &c.* dicit: *Quia Deus non præuidet istum benè vsurum libero arbitrio, nisi qui vult, vel præordinat istum benè vsurum eo &c.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur Deū præordinare omne meritum, & quidquid fecit ad consecutionem gloriæ; ergo &c. Idē etiam colligitur ex 4. dist. 50. q. 6. sub lit. N. vbi explicans inæqualitatem pœnæ damni damnatorum, habet hæc verba: *Sic autem potest dupliciter intelligi inæqualis;*

primò

primò quia esset carentia inæqualis, quia inæqualiter ordinati ad beatitudinem, quia ad alios & alios gradus beatitudinis &c. Ex quibus verbis clarè patet de mente Scoti electos esse præordinatos ad alios & alios gradus gloriæ, & hoc iuxta preordinationẽ graduum meritorum.

Sed aliquis hìc posset dicere, quòd benè verum est Deum præordinare actum, & intentionem eius loquendo de actu meritorio; sed minimè hoc verum est loquendo de actu non meritorio.

Respondeo, quod hoc nihil est: nam ratio quare Deus pręordinat hunc actum & intentionem eius, non est quia meritorius est; sed quia omnis actus cõtingens quicũq; sit ille secundum omnes conditiones existentiæ debet dependere ex decreto Diuino ad hoc vt Deus possit habere creatam & infallibilem notitiam de illo. Igitur cùm omnis actus etiam nõ meritorius sit merè contingens, necessariò præordinatur à Deo quò ad esse, & quò ad intentionem.

Probatur iterùm principale intẽtum de mente Scoti; nam vt ipse dicit in pluribus locis, & præcipuè in 3. dist. 13. q. 2. sub. lit. M. & in 4. dist. 50. parũ supra lit. A. appetitus naturalis est ad sũmam perfectionem possibilem in specie: & tamen hoc non obstante nullius appetitus, excepto illo animę Christi, satiatur summa perfectione; quia cùm vt suprà visum est, gloria non detur correspondenter appetitui naturali: sed correspondenter meritis, quia à Deo vnicuiquè pręfigitur, vt nihil plus beatitudinis appetat, quàm Deus correspõdenter vniuscuiusquè meritis dis-

po-

posuit vnicuiquè dare; & hęc est sententia Scoti in præcitatis locis & 4. sub lit. B. vbi habet in primo loco hęc verba: *Sed cùm dicis, quòd voluntas libera erit recta, si consonet voluntati; dico quòd non semper, sed tantùm quando cum hoc consonat volūtati superiori, scilicet voluntati Diuinæ, quando vult illud, quòd Deus vult eam velle &c.* Et in secundo loco habet: *Sed Beatus non vult habere maiorem beatitudinem, quàm Deus vult eum habere &c.* Ex quibus locis non obscurè colligitur Deum præfixisse vnicuiquè tantam volitionem beatitudinis, quanta sunt merita, quę etiam vt suprà visum est, sunt ab ipso præordinata & prædeterminata; ergo voluntas nostra depēdet à Deo simpliciter in volendo hæc & illa obiecta, & in modo volendi quantùmcunquè appetitus naturalis sit ad summam perfectionem.

Sed contra hoc potest argui, nam Scotus in 2. dist. 6. quęst. 2. parùm supra lit I. explicat multos modos, quibus mali Angeli potuerunt peccare sequēdo naturalem inclinationem non conformando se regulæ superiori; ergo si Angeli mali vt patet ibidē & sub lit. M. non correspōdenter meritis, sed correspondenter appetitui naturali appetiuère beatitudidem: Igitur non est à Deo vnicuique præfixa tanta volitio beatitudinis, quanta sunt merita ab ipso pręde terminata & præordinatata. Probatur etiā, quod sub lit. I. Scotus dicit: *In potestate volūtatis, vt libera est in eliciēdo actum, est tantùm inclinari, vel minùs &c.* Si ergo est in potestate voluntatis tanta, vel tanta inclinatio ad beatitudinem; ergo non est sibi à Deo

à Deo præfixa correſpondē-ter meritis.

Difficultas hęc prolixiorem & accuratiorem requirit diſcuſſionem, quia in ea inuoluitur ardua illa quęſtio, in qua diſputatur; quomodò Deus concurrat ad materiale peccati, & quomodò dicatur prædeterminare illud, & ideò differatur vſquè ibi eius ſolutio? Pro nunc dicitur ſolùm, quòd viator vt ſic poteſt velle aliquid aliud, quàm ſit ſibi pręfixum à Deo; ſed iſtud aliud non eſt aliquid poſitiuum, ſed priuatiuũ ſeu defectiuũ. Impoſſibile eſt, vt ſuprà viſú eſt, & implicat contradictionē, volũtatē creatã ſiuè in via ſiuè in patria verè aliquid aliud poſitũ ab eo, quod eſt ſibi à Deo præfixum: ſed ſe ſola poteſt velle priuatiuũ, ideſt poteſt eſſe cauſa defectiua non tribuendo actus rectitudinem illam, quã deberet tribuere; & hinc eſt, quòd mali Angeli potuerũt appetere beatitudinem ſecundum naturalem appetitum, & hoc appetere ſeù deficere in illis: & ideò Scotus dicit eſſe in poteſtate voluntatis tantùm, vel minùs inclinari; ideſt, eſt in poteſtate voluntatis non deficere à rectitudine. Et hoc eſt, quod dicit Scotus in pręcitato loco 2 ſub lit. L. vbi affirmans etiam in bonis Angelis fuiſſe inclinationem naturalem ad beatitudinem dicit: *Quòd boni in eliciendo actum non vtebantur voluntate ſecundũ eius rationem imperfectam, ſed vtebantur voluntate ſecundũ perfectam eius rationem, quæ eſt libertas; agendo ſcilicet ſecundum voluntatem eo modo, quo congruit agere liberè in quantùm liberum agit: hoc autem erat ſecundum regulam ſuperioris voluntatis determinantis & hoc iuſtè*. Hæc ille

&c. Ex quibus verbis si expēdatur etiā illa particula, *determinantis*; vtiquè manifestum fiet Scotum voluisse, Angelos bonos id solùm appetijsse secundum merita, quòd solùm correspondenter illis fuit sibi à Deo determinatum, sicut etiam merita fuerunt eis à Deo determinata. Beati autem hoc addunt suprà viatores; quòd illi ex prçuētione Diuina nūquā posſunt potētia propinqua deficere: isti verò posſūt potētia propinqua deficere, & hoc est, quod dicit Scotus in 2.dist.5. quçst. 1. sub lit. B. scilicet; *Quòd voluntas viatorum mutabiliter, Beatorum verò fixè vult &c.*

PROPOSIT. XXIII.

Ostenditur à quo, & qualiter determinetur animata potentia.

Reperitur vlteriùs quorumdam aliorum entium indeterminatio determinabilis per habitum ex actuum reiteratione productum in illis; & ista contra distinguntur ab entibus, ità seipsis perfectè determinatis ad vnum, vt quantùmuis & quomodòcunquè suos exerceant & reiterent actus, nunquàm in ipsis nè minimus quidem producitur habitus: quemadmodùm experimēto cōstat in lapide, qui si violenter sursum, vel naturaliter deorsum milliès proijciatur, neutiquàm in ipso ex infinitè reiteratis actibus ad ascensum, vel descensum expeditior & prōptior redditur; quod vtiquè contingeret, si ex actuum frequentatione sibi tantillum habilitatis requireret. Ita Scotus indicat in 2.dist.3.quçst.11. sub lit. D.& in dist.9.quæst. 2.sub lit.X.sed asserit euidēter in eodem.2.dist. 3.q.10. sub lit.K.vbi respōdēs ad 2. Hen-

Henrici rationem, qua probat necessariò fuisse concreatũ Angelico intellectui scientialem habitum quendam; aliter ex actuum exercitio posset illum acquirere, quod esset absurdum, sic ait: *Ad secundum dico, quòd Angelus non potest generare in se habitum ex actibus; habitum dico, qui sit alia res à specie, quia habitus non generatur in naturaliter inclinatis siuè in summè determinatis ad vnũ, sicut nõ generatur in graui per quotiescũq; descẽdere ratio descensus: nec generatur in uiolẽter motis per quotiescunq; tale moueri aliqua ratio, vel habitus facilitans, vel habilitãs ad talẽ motum violentũ; sicut patet de lapide moto sursùm. Sed generatur in potentijs de se indeterminatis, ad actum per actum frequenter elicitum; nõ autem est imperfectionis, aliquem intellectum creatum esse summè habilitatum ad intellectionem, quòd si aliquis est talis, erit Angelicus: & ità in illo sicut in summè habilitato ad actum, non poterit generari habilitas aliqua, quæ dicatur habitus illo modo.*

In 3. verò dist. 33. q. vnica sub lit. D. in vniuersum explicat, quæ sint ista summè determinata, dum inquit: *Nam à puris agentibus naturalibus omnes remouent habitus; quia ex se sunt summè inclinata &c.* Cæterùm ne sub nomine puri naturalis agẽtis cuncta simpliciter cõprehenderentur agentia naturalia, quòd esset manifestè falsum; in eadem igitur quęstione sub lit. M. magìs limitat, & specificat quę sint illa, ex quibus excluditur habitus: ibi siquidem pręmisso, *Quòd etiam in parte corporis potest esse virtus & habitus, sicut patet in manu scriptoris & pictoris; manus enim mea inexercitata inhabilis in illa facultate, quæ est ad citarizandum: exercitata autem est*

habilis, quod non est nisi habilitate inhærente manui. Immediatè subiungit: *Sed in merè inanimatis non inuenitur; non enim ex consuetudine proijcitur facilius lapis sursum*. Tu tamen intellige per merè inanimata ea, quæ nec intellectricem animam, nec sentiẽtem includunt, vt colligitur ex ipsa litera Scoti.

Habitus igitur in quibuslibet cognitiuis, vel appetitiuis potentijs siuè spirituales, siuè corporales existant, ex reiteratione actuum acquisitus habet facultatem determinandi, & de facto determinat eas; illas siquidem promptiores & expeditiores redactas maxima cum ipsarum facilitate, & delectatione ad operandum inclinat, & ità inclinat vt moueat potentiam ad instar ponderis impellẽtis corpus deorsum, sicut inquit Scotus in primo dist. 17. q. 2. sub lit. R. vbi sustinens opinionem, quæ tribuit actiuitatem habitui præmisso exemplo de corpore velociùs moto, si à grauitate vt ab intrinseco, & simul à proijciente vt ab extrinseco principio moueatur, sic ait: *Ità in proposito habitus mouet potentiam quasi quoddã pondus, qui tamen ex se non sufficit ad eliciẽdum actiuè ipsam operationem; sufficit autem sola virtus potentiæ actiuæ sine tali pondere &c.* Et euidentiùs repetit idem in eadem quæst. sub lit. M. vbi probabiliter defendẽs aliam opinionem, quæ denegat actiuitatem habitui, ità decernit: *Qui vellet tenere conclusionem istarum rationum posset negare ab habitu omnem rationem principij actiui, & dicere, quòd habitus tantùm inclinat ad operationem quasi actus prior conueniens cũ actu secundo, & determinans ad actum illum, sicut grauitas est actus prior determinans & inclinãs ad determinatũ vbi &c.*

Nec

Nec te conturbet, quòd Scotus in hoc vltimo loco citato tribuat ponderosam determinandi rationem habitui, non coagenti ad productionem: sed solùm ad actus receptionem habilitanti & disponenti potentiam; quoniam nihil ponderosæ inclinationis, seu inclinatiuæ ponderositatis in habitu minuit passiuitas, vel auget actiuitas: accidit enim habitui adinstar ponderis inclinanti potētiam ad actum, quod passiui tantùm, vel actiui principij simul rationem inuoluat, vt patet, & ex citatis locis euidenter infertur. Id autem quod hìc tantùm contendimus, est habitum ad actum determinare potentiam; nihil igitur officit, nec nobis facescit negotium, an cum hoc, quod determinat eam ad actum in eius productionem, simul cum illa influat insuper.

Sed estò quòd prætensæ determinationi pręiudicium inferat passiuitas habitus, nobis tamen sufficiet, quòd Scotus etiam opinionē oppositam de habitus actiuitate sustineat, & ità defendat, vt probabiliorē iudicet istā; quemadmodùm manifestè concludit in 1. dist. 17. q. 2. sub lit. G.g. §. *Sed dubium est &c.* inquiens: *Oportet igitur dicere, quòd iste habitus præter hoc, quod est decor spiritualis, est etiam inclinans ad determinatos actus, & hoc siue non actiuè secundùm quartam viā positam in solutione præcedentis quæstionis; siuè quod magis videtur actiue secundùm tertiam viam &c.* Non est igitur cur hoc capite reuocemus in dubium prædictam habitus determinandi virtutem, quam sibi Scotus attribuit etiam in 3. dist. 33. qu. vnica sub lit. A.D.& H. quę testi-

testimonia inferiùs expendentur.

Interim examinemus ad quod genus determinationis debeat reduci ponderosa inclinatio, quæ in potentiam dimanat ex habitu, idest videamus; an habitus efficienter, an verò formaliter tantùm ad actum determinet, inclinetq; potentia? Ad quã difficultatem respõdendum censemus correspondenter ad duplicem sentẽtiam, quã de habitus passiuitate, vel actiuitate sustinet Scotus. Nam si priorem sententiam amplectemur, tunc dicendũ est habitum formaliter tantùm determinare potẽtiam: sed non ità formaliter, sicuti forma actuando materiam determinat ipsam, vt suprà explicuimus de phisica determinatione: at eo sensu formaliter dumtaxàt, vt per nihil in ipsa productũ quodcunquè sit illud; sed se ipso formaliter adinstar entis formaliter ponderosi immediatè determinet, inclinetq; potentiam ad solam actus receptionem.

Hæc conclusio patet, tùm quia ex eius opposito deduceretur euidenter actiuitas habitus, quod est contra hypothesim, nisi dicere velimus, quòd quàmuis habitus vt comparatus ad actum futurum excludat; vt comparatus autem ad potẽtię motionem actiuitatem includit, quod non esset ad propositũ, cùm non posset assignari efficiens ratio: cur magis in potentiam, quàm in actum illius efficienter influere valeat? Tùm quia Scotus in 1.dist.17.q.2. sub lit. M. N. & X. vbi contendens saluare conditiones habitus, & si defendat non esse actiuũ præsertim sub lit. X. hæc habet formalia verba: *Ad illas conditiones quatuor diceretur,*

quòd

quòd delectatio est ex cõueniẽtia operationis ad potentiam, & obiectum, circa quod est operatio, quæ conuenientia est obiecti ad potentiam in quantùm recipit actionem, & non in quantùm elicit eam; quia factio sola, vt factio, nunquàm est delectabilis, & ideò propter delectationem nunquàm oportet ponere rationem principij actiui. Similiter facilitatio, expeditio & promptitudo ponuntur ratione passi; quia passum potest difficulter recipere, quando non est dispositum & impeditè & tardè, vel non promptè: & ratione indispositionis passi est ibi difficultas, tarditas & indispositio; ergo agens potest expeditè, promptè & faciliter agere propter dispositionem passi, & habitus est talis dispositio in passo. Igitur cùm ex iam citatis testimonijs habitus sit ratio disponendi potentiam ad receptionem actus producti; nihil ergo producet in illa, forma quippè disponens se ipsa formaliter, & non per aliquid productum præparat, disponitquè subiectum, aliter daretur processus in infinitum in formis disponentibus, vt patet.

Si tamen posteriori sententiæ subscribamus, vtiquè tunc omninò asserẽdum putamus, habitum efficienter etiam inclinare potentiam, sed non sic efficienter excitat ipsam; quasi verò per aliquid absolutum productũ in ea impellat eandem, quoniam sicut in declaratione vltimi modi explicandi subordinationẽ videbimus motus huiusmodi, & ad operandum impulsio irrationabiliter ponitur fieri per qualitatem impressam. Pro nunc igitur sufficiat nobis indistinctè decernere, quòd iuxta posteriorem hanc sententiam efficienter animatam poten-

potentiam moueat habitus per aliquid productũ in ea, quodcunq; sit illud.

Hæc assertio sic explicata patet euidenter ex Scoto in 1.dist.17.q.2.sub lit.R. vbi vt munus ipsius habitus explicet, si teneatur actiuus, similitudinem ducit à grauitate lapidis, qui partim à ponderositate, & partim ab extrinseco principio deorsũ impellitur & applicans ad propositnm, inquit: *Ità in proposito habitus mouet potentiam quasi quoddam pondus, qui tamen ex se non sufficit ad eliciendum actiuè ipsam operationem; sufficit autem sola virtus potentiæ actiuæ sine tali pondere: sed quando ambæ cõcurrunt, ità tamen quod non maior sit conatus ex parte potentiæ nunc, quàm priùs perfectior operatio elicitur, quã posset elici ab ipsa potẽtia sola etc.* Hæc verba & ea, quę immediatè superiùs habet ibidem diligenter expensa manifestè nobis demonstrant ità coagentem habitum in ratione superpositi ponderis ad perfectiorem actum mouere potentiam; sicut grauitas in ratione innati & intimi ponderis ad velociorem descensum lapidem deorsũ impellit: sed grauitas efficienter lapidem propellit in centrum; ergo similiter habitus actiuè potentiam excitabit ad actum. Minor est Scoti in 2. dist.2. qu.10. per totum, sed præsertim sub lit. C. vbi ex intento cõtendens demonstrare, quòd graue efficienter impellat seipsum ad centrum, sic arguit: *Prætereà, illud quod non mouet aliud, nisi priùs naturaliter ab alio motum, ab eodem habet quod moueat, & quod sit motum: sed graue cui alligatum est leue, cuius leuitas non excedit grauitatem eius, mouet illud leue trahendo illud secũ*

ad

ad centrum, & non moueat nisi quia motum; ergo priùs naturaliter est motum quàm moueat, & ab eodẽ mouetur, à quo habet, quòd moueri debeat illud sibi alligatũ: mouet autẽ illud non per aliud, quàm per grauitatem suam; igitur & seipsum. Et vt magis explicet efficientiam grauis in mouendo seipsum, hanc ibi cõfirmantem rationem immediatè subiungit, & ait: *Posset confirmari ista ratio, quia quando aliquid habet potentiam actiuam respectu alicuius formæ, potest eam causare in quocunquè passo proportionato, & approximato; sed graue habet potentiam actiuã respectu vbi deorsum, sicut habet respectu illius quod trahit secum, ipsummet quando est extra illum locum, est receptiuum illius formæ carens ea, & proportionatum & approximatum sibi, ergo potest istam formam causare in se ipso.* Quid clarius?

Sed inquies etiam iuxta posteriorem hanc de habitus actiuitate sententiã, habitus ipse quasi suppositum pondus, ad actum inclinat mouetquè potentiam; illam igitur non vt efficiens, sed vt forma dumtaxat mouebit. Consequentia patet, quia non posset saluari ratio ponderis in habitu, si non seipso formaliter, sed perfectiuum influxum potentiam excitare ad actum. Et optimè conformatur ex eo, quòd seipso formaliter ponderosè potẽtiam excitat habitus, actiuitatem si respuat; id ipsũ igitur asserendũ est, quantùmuis actiuitatem inuoluat.

Hæc instantia facilè soluitur, quia sicut optimè saluatur ratio ponderositatis in materiali grauitate lapidis, non obstante quòd efficienter deorsum moueat ipsum; ità similiter integra semper

perseuerabit in esse spiritualis ponderositas habitus, nõ obstãte quòd in genere effectricis causæ pendeat ab ipso ad actum excitanda potentia. Immò verò per hoc, quod vt efficientem causam habitum agnoscit ipsa potẽtia, optimè grauedinis ratio saluatur in habitu; quoniam id in vniuersum quasi superpositum pondus cõparatur ad aliud, quod habet facultatem inclinandi illud ad aliquid, cùm ad pondus propriè inclinare pertineat: semper igitur ex eo quòd habet virtutem mouẽdi potẽtiam, vt suppositum pondus ad eã comparabitur habitus, quomodòcũquè inclinet & moueat ipsam. Confirmatio nõ est ad propositum, quia suprà diximus quale intercedat diffidium inter inclinantem ad pati, nec nõ inter mouentem formam ad agere.

Efficienter igitur actiuus habitus potentiam excitat, & ità excitat eam; vt non quomodòcũquè, sed ad agere moueat ipsam. Hæc assertio adeò euidens est, vt illam probare dedeceat: in primis enim non obscurè colligitur ex Scoto in 1. dist. 17. quæst. 2. sub lit. M. & R. sed euidentiùs ex 3. dist. 33. quæst. vnica per totum, vbi centiès repetit prudentialem inclinare intellectum ad rectè iudicandum, & electiuum voluntatis habitum ad rectas electiones illam impellere; & præsertim sub lit. A. hæc habet formalia verba: *Voluntas est indeterminata non tantùm ad opposita, sed etiam in modo agendi; scilicet rectè & non rectè: igitur indiget aliquo inclinante determinante ad rectè agendum &c.* Et in prçcitato loco prim. dist. 17. quæst. 2. ad probandum habitus actiuitatem

hoc

hoc tertium argumentum principale proponit: *Prætereà ad principale. Habitus inclinat potentiam ad actum: duplex autem est inclinatio, scilicet potentiæ passiuæ ad formam; & potentiæ actiuæ ad agere: habitus non inclinat primo modo, nam actus recipitur in potentia immediatè; alioquin actus perfectus & imperfectus nõ haberẽt idẽ susceptiuũ: ergo inclinat secũdo modo vt principiũ actiuũ ad agere, quod est propositũ.* Et licet sub lit. X. nitatur illud explodere Scotus: hoc ideò facit, quia probabiliter sustinet oppositam de habitus passiuitate sententiam: in ea igitur opinione, quæ admittit actiuitatem in habitu, euidenter demõstrat relatus iam Scoti discursus.

Probatur item assertio ex illo communiter recepto axiomate: *Habitus semper inclinat in consimili actus.* Et demùm si veram inter sese oppositionem debeant seruare de habitus actiuitate, & passiuitate sententiæ, tunc sicut in hac ad pati tribuitur; sic etiam contrà ad agere potentiæ concedetur in illa.

PROPOSIT. XXIV.

Species suum receptiuum inclinat ratione longè diuersa, quàm potentiam propriam determinet habitus.

EX his meritò nunc in controuersiam adduci posse censemus; an species & maximè intelligibilis intellectricem potentiam determinet & inclinet ad actũ eo pacto, quo proprium receptiuum habitus actiuus inclinat, atquè determinat? Dubitandi siquidem ratio indè procedit; quia vbiquè

Scotus affirmat obiectum, vel speciem, in qua relucet obiectum mouere potentiã. Et pluribus etiam in locis, & præsertim in primo dist. 17. quæst. 2. parùm supra lit. Y. asserit: *Quòd scientia, per quam anima reducitur de potentia essentiali ad accidentalẽ, est species intellegibilis ipsius obiecti; & de illa concedo, quòd ipsa est principium actiuum respectu considerationis: sed illa species non est habitus, de quo loquimur, qui est qualitas derelicta ex actibus frequenter elicitis; ista enim species præcedit naturaliter primum actum elicitum circa obiectum, circa quod est. Et licèt ista species possit esse radicata in intellectu, & cùm fuerit radicata posset dici habitus; non tamen est iste habitus, qui generatur ex actibus frequentibus, sicut dictum est.* Et in eodem 1. dist. 3. quæst. 6. parum supra lit. O. hoc ipsum repetẽs inquit: *Hæc species est illa; quæ reducit intellectum de potentia essentiali ad accidentalem secundum Aristotelem 8. Phisic. text. Comm. 32. & 2. de anim. text. comm. 25. & 55. non autem illa, quæ propriè dicitur scientia, quæ est habilitas quædam derelicta ab actibus; nam ante istam ad primũ actum considerandi requiritur quòd sit iam reductus intellectus de potẽtia essentiali ad accidentalẽ, alioquin non operaretur tũc magis quã priùs: undè in cognitione species, in qua relucet quidditas, dicitur sciẽtia, non tantùm virtualiter, quia totam continet; sed formaliter potest dici habitus cognitiuus, quia est qualitas mãsiua in intellectu disponens ipsum ad actum.* In quo testimonio illud præcipuè notãdum est insuper, quòd Scotus decernit intelligibilem speciem non tantùm esse reductiuam intellectus de poten-

tentia essentiali ad accidentalem: sed cùm sit qualitas permanens in ipso, inquit etiam esse dispositiuã, & per consequens inclinatiuam illius ad actum.

Contrà tamen est, quia cùm species non generetur in potentia ex actibus reiteratis ab ipsa; non habet igitur vndè possit in consimiles actus disponere, & inclinare potentiam.

Facillimè propositã difficultatẽ dissoluemus, si Scotum consulerimus in ijs, quę sparsim de speciei, habitusq; natura & causalitate concludit. Vult igitur Scotus, quòd quantùmuis habitus & species à se inuicem diuersificẽtur quantùm ad originem, quantùm ad naturam, quantùm ad intendi & remitti, quantùm ad operandi virtutem, & quantùm demùm ad nonnullas alias circumstantias: in sola tamen permanendi ratione conueniunt; vndè fit vt species intelligibilis non in ijs, quæ per se; sed solùm in eo, quod per accidens conuenit habitui, qualis est permanentia, cum ipso communicet. Ità ex intento docet ipse, & subtiliter probat in 2. dist. 3. q. 10. sub lit. F. vbi præmisso: *Quòd Angelus ad cognoscendum distinctas quidditates, habeat distinctas rationes cognoscendi &c.* Querens posteà quę sint illæ rationes cognoscendi, statim quæsito respondens; subiungit: *Dico, quòd habet rationes cognoscendi alias ab essentijs cognitis repræsentantes eas; quæ rationes propriè & verè dicuntur species intelligibiles, & si ab aliquibus dicantur habitus, per hoc exprimuntur accidentaliter vt per accidens speciei & in vniuersali: nam ratio habitus accidit speciei, pro vt species est in intellectu, à quo non de facili de-*

letur

letur; & ideò habet rationem habitus, quia rationem formæ permanentis: sed hoc non dicitur in quid de hac qualitate, sicut habitus non dicitur in quid de specie; eadem enim essentia absoluta in genere qualitatis potest esse habitus, & dispositio &c. Et alia multa ad hoc propositum subnectit ibidem, quæ breuitati consulentes omittimus: id ipsum colligitur euidenter ex iam citatis locis 1. libri Sentent.

Ex testimonijs iam relatis patet nunc, qualiter habitus per se diuersificetur à specie, & qualiter hæc accidentariam habitui solam rationem permanendi cum ipso participet: quo fit vt species non habeat facultatem inclinandi & disponendi potentiam ad actum eo pacto, quo propriam habitus agens inclinat. Hęc assertio liquet iam ex vtriusq; diuersitate prædicta, qua namq; ratione speciei, quæ per se essentialiter diuersificatur ab habitu, & in accidentarijs cum ipso communicat, principalior habitus ascribetur proprietas; potentiam eius videlicet inclinandi facultas? An fortè non omnibus elucescit, quòd ea, quæ in eadẽ per se proprietate nõ discrepant, in eadem etiam quidditate conueniunt.

Relata igitur testimonia, quæ veritatem hanc labefactare videntur, facilè nunc explicantur. Ad primũ respondet Scotus in 1. dist. 3. q. 7. sub lit. M. vbi vt declaret quo sensu intellectus, & intelligibilis species ad notitiæ productionẽ conspirent, sub lit. L. de causis ad eundẽ effectum concurrentibus distinctione præmissa, sic illam ad propositum applicando concludit: *Concurrunt ergo ista duo vt habentia ordinem essen-*

essentialem, non tamen primo modo; quia nec intellectus dat obiecto, vel speciei rationem suæ causalitatis. Non enim obiectum natum est in se, vel in specie sui facere intellectionem per aliquid, quod recipit ab intellectu, sed ex natura sua: nec intellectus recipit suã causalitatẽ ab obiecto, vel specie obiecti; sicut probatum est cõtra quintam & sextam opinionem in ista quæstione. Sunt igitur causæ essentialiter ordinatæ vltimo modo, scilicet quòd vna est simpliciter perfectior altera; ità tamen quòd vtraq; in sua partiali causalitate est perfecta non depẽdens ab alia. Ex quibus verbis illud tantùm aduertere liceat, quod intellectiua potentia in productione notitiæ non ità subditur speciei; quasi verò moueatur ab ipsa vel de potentia prima ad actum primum per hoc; quòd operãdi virtutem cõmunicat ipsi, vel à potentia secunda ad actum secundum per hoc, quòd monitionem ad operandum configit eidem: sibi tamen subordinatur eo sensu, quo Matris inferior in prolis productione superiori Patris actiuitati subijcitur. Euidentiùs denegat Scotus obiecto omnem facultatem mouendi propriam potentiã in eodem 1.dist.3. qu.8. sub lit.E.vbi præmisso, quòd intellectus duplicẽ habeat ordinatam actionem: alteram, qua speciem efficit; alteram verò, qua notitiam gignit, sic explicat propositionem hanc: *Obiectum est mouens, non motum*, assumptam in primo argumento; quòd cõtra intellectus principalitatẽ in producendo notitiã obiecerat in capite quęstionis, dũ inquit: *Dico quòd in vtraquè motione obiectum est mouens secundarium, licèt non sit motum; idest aliquid recipiens in*

se

se à principali, siuè à priori mouente. Cùm dicis, quòd intellectus non mouet nisi motus: Dico, quòd non mouet secunda motione nisi motus priori motione; hæc igitur est comparatio duarum motionum intellectus, non autem duarum causarum partialium concurrentium in vna motione. Si autem compares causas partiales in vtraquè motione: Dico, quòd intellectus vtròbiq; mouet non motus à causa partiali concurrente in eadem motione.

Euidentissimè confirmat hoc idem in 2. dist. 3. qu. 8. sub lit. E. vbi respondens ad tertiam instãtiam desumptã ex ordine, quem in producendo notitiam seruare debeant obiectum & intellectiua potẽtia, hæc habet formalia verba: *Ad tertium dico, quòd mouens motum potest intelligi duobus modis; vel quòd recipiat à mouente non moto formam aliquam, qua moueat sicut actum primum: Vel quòd ipsa forma habita sicut actus primus recipiat ab eo aliam formam vlteriorem sicut actum secundum, qua agat: Primo modo est in quibusdam causis ordinatis, quòd prima dat virtutem secundæ; hoc modo non est in proposito, quia nec intellectus vt agens causalitate sua partiali, dat speciei obiecti istum actum, quo operatur ad intellectionem, nec multò magis è conuerso quia species nullam actiuitatem dat intellectui pertinentem ad causalitatem eius. Secundo modo videtur esse in quibusdam mouẽtibus localiter &c.*

Et paucis interiectis applicans ad propositum doctrinam hanc, quam præmiserat, negat apertè intellectũ ab obiecto prima, vel secunda motione moueri, sic dicens: *Ad propositũ dico, quòd non solùm ista non sunt mouens & motum primo modo; sed*

ſed nec ſecundo modo propriè, ſicut ſe habet Sol, & Pater in generatione: ſed tantùm ſunt duæ cauſæ quaſi ex æquo ſe habentes &c. Et nonnullis alijs interpoſitis, ità conludẽdo ſubiungit: *Et ideò nullo modo eſt obiectum mouens motum reſpectu animæ, vt operatur ad intellectionem; poteſt tamen eſſe mouens reſpectu eius, in quantùm ipſa recipit ſpeciem intelligibilem: ſed tunc non mouet animam quantùm ad cauſalitatem, quam habet anima per ſe, ſed per accidens quantùm ad iſtã formam, quã habet reſpectu cauſæ partialis, in quantùm operatur ad illam &c.* Et demùm vt exactiùs & manifeſtiùs ſuam in hoc aperiret ſententiam, poſt aliqua verba ſubnectit hęc alia: *Ità quòd in primo ſigno obiectum, ſiuè phantaſma mouet animam ad intellectionẽ, & non ad actum primum, qui ſit animæ, vt anima eſt; ſed ad illum, qui eſt reliqua cauſa partialis ſibi præuia. In ſecundo autem ſigno obiectum omninò non mouet animam nequè ad actum primum, nequè ad aliquam aliam cauſam cõcurrentem: ſed præcisè agit ad effectum communem, & tunc anima per ſuum actum (quem habuit) agit in ſuo ordine ad eundem effectum; ità quòd nulla eſt ibi motio animæ ad agendum prior naturaliter effectu producto: ad effectum tamen mouetur anima non in quantùm actiua, ſed in quantùm receptiua illius effectus; & licèt ſit mota, non tamen eſt mouens mota, quia non mouetur ad mouere actiuè, ſed ad recipere.*

En quæſo quàm manifeſtè concludat ſpeciem, vel obiectum relucẽs in ea, nullatenùs intellectũ ad agendũ impellere eo ſenſu videlicet, quo habitus ex actuum reiteratione adinſtar ponderis

propriam potẽtiam ad operandum inclinat. His tamen nõ obstantibus,quia species & habitus sub eodem permanentiæ genere militant, indè fit; vt dixerit Scotus in 1. distinct.3.quęst.6. parùm sub lit. O. quemadmodùm suprà in ratione dubitandi retulimus speciem etiam intellectiuam potentiam disponere, & ad actum inclinare quodammodò.

Sed inquies, contra hoc est; quia Scotus in 2. dist. 25.quęst.vnica in responsione ad primum principale sustinet: *Quòd obiectum mouet voluntatẽ effectiuè, non tamen vt totalis causa; sed vt aliquid ibi faciens &c.* Ergo à fortiori, proprium eius obiectum efficiẽter etiam intellectum mouere debebit. Consequẽtia patet, quia magìs absoluitur,& independet ab obiecto(vt suprà deduximus)potentia liberè,quàm naturaliter agens.

Hæc instantia non est ad propositum; tùm quia Scotus ibi non assertiuè, sed leuiter indicat, & probabiliter sustinet voluntatem efficienter ab obiecto moueri: tùm quia volũtatis obiectũ, quòd per vnam & eandem numero speciem præsens sit cognitiuæ & appetitiuæ potentię, vt concludit Scotus in 2.dist.3. quæst.10.sub lit. L. dato quòd moueat illam vt sic, non alia ratione tunc eam effectiuè mouere dicetur, quàm per hoc quòd cõstit uto priùs cum ipsa in ratione concausę totali principio volẽdi ad volitionis productionẽ efficienter concurrit. Hęc expositio colligitur euidenter ex eodem Scoto ibidem, vbi concludit, quòd quãtùmuis obiectum effectiuè moueat voluntatẽ; nunquàm tamen totaliter, sed partialiter tantùm mo-

uebit

uebit illam vt sic, quod idē est ac si dixisset: licèt demus obiecto, quòd efficienter influat in actum volendi, nunquàm tamen subscribēdum erit sententiæ Gotifredi fatentis, vt Scotus refert in eadem quæstione, ità totalite actum volendi ab obiecto produci, vt merè passiuè cōcurrat ad illum creata volūtas; & ideò Scotus examinādę quæstionis, titulum sub hac forma proponit: *Vtrùm aliquid aliud à voluntate causet effectiuè actum volendi in voluntate.*

Immò verò si demus voluntatem efficiēter ab obiecto moueri, non per exhibitionem concursus ad actum volendi, vt iam explicuimus: sed per tributionem antecedentis impulsus ad productionem eiusdem effectus, non propterea adinstar ponderis impelleret eam; cùm genus illud mouendi potentiam habitus tātùm ex actuū reiteratione sibi vendicet, atquè præscribat, aliter etiam ipsa voluntas: quæ sicut asserit Scotus, præsertim in præcitata quæstione sub lit. V. *Mouet effectiuè membra ad exequendum, vt acquiratur illud appetibile &c.* Ponderosè sibi subditas inclinaret, moueretquè potētias. Quod quàm sit falsum, euidenter indè deducitur, insuper quòd tunc etiam Deus inferiores causas excitaret, & moueret vt sic.

At inquies contrà, suprà decretum est efficienter grauitatem ad motum impellere lapidem, & similiter habitum ad actum prouocare potentiam; quid igitur habitus ponderosa præmotio effectiuo volūtatis superaddet impulsui.

Instantiā hanc facilè dissoluimus indè, quòd habitus ex 2. Ethic. cap. 3. & indè ità

potentiam excitat, vt sibi delectationem, facilitationem, expeditionem & promptitudinem ad operandum exhibeat; quod nunquàm eidem potentiæ præstabit aliud agens nisi fortè supremum, quod sicut eminenter continet perfectiones cuiuslibet entis creati, sic etiam eminenter continet quatuor enumeratas habitus conditiones, quæ perfectionem inuoluunt, cùm formaliter actiuitatem includant: quemadmodùm probat Scot. in 1. dist. 17. q. 2. dùm pro habitus actiuitate secundò principaliter arguit, & licèt sub lit. X. solutionem adhibeat illi, & nitatur ostendere conditiones illas ad patiendum dumtaxat exhiberi potentię; hoc ideò fit, quia probabiliter sustinet etiam, quòd habitus omnẽ actiuitatem excludat. Sed in opposita sententia, quam vt longè probabiliorem amplectitur, omninò ad agendum propriæ potentiæ illas tribuat habitus. In ponderosa igitur pręmotione implicantur delectatio, facilitatio, expeditio & promptitudo; ità videlicet vt ponderosè motiuum, qualis est habitus, quatuor enumeratas cõditiones communicet proprio mobili, dũ illud ad operandum impellit; & hoc est, quod simplici effectiuo superaddit impulsui.

Conditiones illas ex eo formaliter obtinet habitus, quoniam actuum exercitio producitur, vndè fit vt infusus habitus, qui similem ex reiteratis actibus excludit originem, similem respuat etiam facultatem mouendi potentiam, quam informat, & afficit. Vtrumquè fatetur Scotus in primo dist. 17. q. 1. sub lit. Oo. vbi respondens ad argumenta pro opinione,

quæ

quę imponitur Magiſtro, inquit: *Ad primum dico, quòd iſte habitus ſimpliciter dat acceptabiliter operari, & etiam dat aliquam actiuitatem reſpectu actus ſicut aliqua cauſa ſecũda reſpectu eius; ſed nõ dat delectabiliter, neq; faciliter, quæ conueniũt habitui acquiſito, in quantùm diſtinguitur ab infuſo per hoc, quod acquiritur ex frequenter agere.* Idipſum habet in 4. diſt. 6. quęſt. 8. ſub lit. P. Et ex eodem capite acquiſitus habitus dicitur tantùm habilitas potentiæ, & inclinare potentiã rigorosè loquendo: alia ſiquidẽ mouentia, quantùmuis proprijs mobilibus ad operandũ præſtent impulſum; nunquàm tamen efficienter inclinatiuè: quemadmodùm habitus potẽtiam, quam informat, impellit; eadem illa mobilia prouocabit ad actum.

Cæterùm quàmuis nequeant immediatè, mediatè tamen idipſum pręſtare valebunt, quòd optimè colligitur ex Scoto in 3. diſt. 33. q. vnica ſub lit. H. vbi vult, quòd creata voluntas: *Poteſt derilinquere ex imperijs rectis aliquem habitum in appetitu ſenſitiuo inclinantem ad hoc, vt appetitus ſenſitiuus delectabiliter moueatur ad sẽſibilia ex imperio voluntatis &c.* En igitur quòd licèt voluntas nequeat immediatè ſeipſa, medio tamen habitu quem ex reiteratis imperijs producit in ſibi ſubditis potentijs, eas ad operandum inclinatiuè prouocare valebit.

Teſtimonium illud de reductione ab eſſentiali ad accidentalem potentiam, non eſt cur referri debuerat ad probandum, ſpeciem intelligibilem efficiendã ad notitię intellectum impellere: illa ſiquidem reductio nil aliud

aliud importat formaliter in specie, nisi quòd species ista constituens cum intellectrice potentia totale principium producendi notitiã, dicitur reducere intellectum seipso ineptum ad producẽdum notitiam ab essentiali ad accidentalem; idest à remota ad propinquam operandi potentiam.

Hanc eandem reductionem ex concursu concausæ patitur omnis alia causa, quę se sola in proprium effectũ nequit influere, & maximè verificatur de quacunquè subdita causa, quæ nunquã independenter ab agente superiori in proprium erumpet effectum. Hæc explicatio nõ obscurè colligitur ex Scoto in 3. dist. 4. quæst. vnica sub lit. D. vbi declarans qua ratione Spiritus Sãctus tribuerit fœcunditatem Deiparæ Virgini, dicit: *Spiritus Sanctus dedit ei potẽtiam susceptiuam, simul autem & generatiuam, non quòd miraculosè dedit ei illam fœcunditatem, secundum quam cooperabatur; sed illam habuit naturaliter, quia non fuit sterilis, & secundum eam potuisset naturaliter cooperari ad productionem Filij, si Pater naturalis genuisset: sed potẽtia actiua causæ inferioris est remota, quando causa superior non agit; ità quòd nunquàm est causa inferior in potentia propinqua ad effectum, nisi causa superiori agente, quia illa superior primò determinatur, & ipsa determinata inferior necessariò cooperatur, si inferior sit causa naturalis. Secundum autem communem ordinẽ vis actiua Matris tota est subordinari vi actiuæ Patris; & ità à Patre nata est conferri Matri potentiam propinquã ad generandum &c.* Fit clariùs; iste tamen locus ad aliud propositum referetur,

&

& seriò ponderabitur infrà.

Hic demùm esset in controuersiam reuocandum;an supernaturalis habitus, qui non producitur ex actuum frequentia, potentiam quã informat, inclinet? Estò quòd inclinet, quod esset omninò tenendum: cùm vbiquè Scotus, & præsertim in primo dist. 17. qu. 1. sub lit. Cc. §. *Hoc modo &c.* attribuat illis facultatem inclinãdi & determinãdi potentiã; nùm ità excitent & moueãt eam, sicut habitus naturaliter acquisitus inclinat & excitat illam: sed quia difficultas ista transcendit limites nostri instituti & propositi, quòd in hoc libro prętendimus de sola secundæ causæ à primo efficiente in operãdo naturali pendentia; & supernaturalis habitus non seipso, sed à Deo habet immediatè, vt inclinet potentiam in actum, veluti colligitur euidẽter ex 17. quęst. Quodl. sub lit. M. vbi sic de infusa fide concludit: *Sed per nullum istorum modorum est actus fidei infusæ, quia est participatio quædam luminis Diuini, non potest inclinare intellectum, nisi in aliquod determinatè verum. Certitudo ergo illa in actu est ex quadã cõparatione ad quoddam extrinsecum infallibile, cui actus ille conformatur &c.* Meritò igitur aliàs dissoluendam dimittimus.

PROPOSIT. XXV.

Difficultas proponitur, qua ratione videlicet possit habitus determinare potentiam, cũ hæc sit causa superior illo.

NOn parua, nec paruipendenda difficultas sese nobis offert ex ijs, quæ suprà decreuimus de munere, quo fungitur habitus in incli-

inclinando & determinãdo potentiam; ista siquidem inclinatiua & determinatiua facultas, qua guadet, in potẽtiam semper exercet, manifestam contradictionem videtur inuoluere: quod in primis indè liquidò patet, quia penitùs implicat aliqua duo à se inuicem in eodem genere causæ pendere; quod vtiquè contingeret, si demus habitum inclinare potentiã, quæ simul econtrà & simili modo eundem inclinat, & determinat habitum, vt patet: immò verò vt causa superior determinat illum, quemadmodùm asserit Scotus in primo dist. 3. quæst. 7. parùm supra lit. F. In eodem primo dist. 17. quæst. 2. sub lit. N. & quęst. 1. sub. lit. Gg. §. *Sed tunc &c.* In 2. dist. 7. quæst. vnica sub lit. B. & parùm supra lit. Q. In 3. dist. 33. quęst. vnica sub lit. O. Et in 4. dist. 2. quæst. 2. sub. lit. F. & dist. 49. quæst. 10. sub lit. D. vbi improbans opinionem, quæ dicit perpetuitatem beatitudinis prouenire ab habitu, necessariò determinãte potentiam ad agendum, à lumine glorię videlicet intellectiuã ad visionem, & à charitate volitiuam potentiam ad fruitionem necessitate, sic arguit: *Contra tertiã positionem argui potest, quòd habitus non potest esse prior causa operationis, quàm potentia; sed semper secunda, quia illud est potentia, quo simpliciter possumus: vndè habitus non vtitur potentia, sed potentia habitu sicut causa secunda & instrumento; causa autem prior non determinatur ad agendum, nec per consequens necessitatur per causam secundam, sed èconuerso.*

His tamen non obstantibus habitus etiam debebit habere rationem causæ superio-

perioris respectu potentiæ, cùm etiam ipse ad operandū inclinet & determinet eam; quod est munus solius causę superioris, vt patet ex iam relato testimonio, & ex alijs supracitatis, sed præsertim ex illo primo dist. 3. quæst. 7. sub lit. F. vbi inquit: *In causis essentialiter ordinatis, inferior non inclinat superiorem, sed è conuerso &c.* Et ex illo 2. dist. 7. quæst. vnica parùm supra lit. Q. vbi id ipsum repetens ait: *Causa secunda nō determinat modum agēdi causæ primæ, sed è conuerso &c.* Et ex illo 4. dist. 2. q. 2. sub lit. F. fatetur apertè, quòd: *Solus Deus determinat se ad effectum causandū sibi propriū; si enim posset ab alio determinari ad agendum, iam esset causa secunda respectu eius &c.* Ex quo testimonio sicut ex alijs euidenter colligitur, quòd quemadmodùm ex passiua inferioris, ità ex actiua determinatione ad opus quodlibet agens superioris causæ nomen, & rationem acquirit; habitus igitur cùm ad opus inclinet, determinetquè potētiam, vt suprà conclusimus, necessariò respectu potentiæ superioris causę sibi rationem ascribet, ergo respectu eiusdē potentiæ, sicut econtrà potentia respectu eiusdem habitus simul erit superius & inferius agens.

Sed super omnia difficultatem hanc Scotus adauget, ipse siquidem in primo dist. 17. q. 2. sub lit. H. quia suprà decreuerat iam habitum efficienter in actū influere; in controuersiam posteà reuocat, qualem tunc ordinem inter sese in actus productione seruabunt potētia, & habitus sibi concausans: & statim difficultati respondens concludit, quòd habitus sit causa superior, cuius ratio-

nem assignat. *Quia causæ prioris est determinare secundam, non è cõuerso; habitus autem determinat potentiã ad agendum & non è conuerso, & inclinat eam: inclinare autẽ est superioris respectu inferioris, non è conuerso*. Cæterùm hoc non obstante discursu partem oppositam amplectens potẽtiæ primas tribuit partes: sed rationem in oppositum adductam, insolutam dimittit. Immò verò in eadem dist. quæst. 1. parùm supra lit. Mm. sic iterùm ipsã inexplicatam omittit, vt eius solutionem alibi nobis exquirendam esse cõmittat, dum inquit: *Et si tunc arguatur sicut argutum fuit in præcedenti solutione, quòd habitus determinat & inclinat potentiam; ergo est causa prior. Responsio quæratur alibi*. Et ratio cur iteratò recẽseat eam ibidem est, quia per hoc, quòd suprà concluserat sub lit. Gg. *Quòd iste habitus præter hoc, quod est decor spiritualis, est etiam inclinans ad determinatos actus, & hoc siuè non actiuè secundum quartam viam positam in solutione præcedentis quæstionis, siuè quod magis videtur actiuè secundũ tertiam viam. Quod probatur primò &c.* Statim igitur hinc in dubium reuocare debuerat, sicut reuocat ordinem, quem in producendo meritorium actum inter sese seruent charitas & creata voluntas, inquiens: *Sed tunc est vlterius dubium de isto habitu comparato ad potentiam operantem, quæ videlicet istarum debeat dici prima causa, & quæ secunda*. Et adductis vtrinquè rationibus dubitandi, vt exactè proposito dubio satisfaceret, distinctionem præmittit huiusmodi: *Hic potest dici*

dici, quòd in actu meritorio, de quo est sermo, duo considerare oportet; videlicèt illud quòd præcedit rationem meritorij, & in hoc gradu includitur & intentio actus, & substantia actus, & rectitudo moralis. Vltra hoc considero & ipsam rationem meritorij, quod est sic esse acceptum à Diuina voluntate in ordinem ad præmium &c. Et nonnullis interpositis respondet demùm sub lit. L l. quòd per comparationẽ ad substantiam actus: *Habitus est causa secunda, & potentia causa prima, sicut dictum est in solutione præcedenti de habitu communiter & potentia ponendo habitum actiuum &c.* Et idem repetit infrà: Sed quia maximum sibi facescebat negotiũ ratio, quam pro habitu communiter sumpto contra superioritatem potentię superiùs obiecerat; ideò iterùm hìc contra voluntatis superioritatem, qua vt ad actus substantiam comparata potitur, adducit: cæterùm quia non alia de causa, quā ex manifesta contradictione difficillimam reperijt eam; hinc nouiter inextricabili nexu deuictus, sic illam inextricatam reliquit, vt alijs explicandam commiserit eam.

Vrget sanè difficultas proposita, nec facilis est ad illam responsio: nihilominùs tamen asserimus, quòd quantùmuis se inuicem determinent, & ad actus productionem sese simul inclinet potentia & habitus sibi concausans; perperàm autem indè deducitur, quòd hæc tanquàm ea (quæ contradictionem inuoluũt) sibi cohærere non possint, vel quòd Scotus Theologorũ omnium Antesignanus, veluti difficultatis angustia

pressus, de industria dissoluendam alijs omiserit eam.

Nos igitur pro viribus illã enodare tenemus: Cæterùm vt explicatio clariùs emicet, priùs aduertamus si placet totam efficaciam rationis ex præcitatis testimonijs reductæ in eo cõsistere; quòd implicat aliqua duo à se inuicem in eodem genere causę pendere, & per consequens implicat habitum & potentiam eodem motionis genere ad operandum inclinare se inuicem. Hoc breui iam prę̨misso discursu, sic illi respõdendum putamus; vt negemus primò inclinationes, & determinationes, quibus habitus, potentia & motio sese ad operandum impellunt, eiusdem esse rationis, vel generis: habitus enim excitat, inclinatquè potentiam quodam impulsu lõgè diuerso ab eo, quo eadem potentia ad operandum habitum; ille siquidem nec propriè phisicè, nec propriè moraliter, sed mixto quodam modo potentiam: hæc verò tantummodò phisicè rigorosè loquendo ad actionem prouocat habitũ. Secundũ patet, quoniã potẽtia per hoc, quòd vtitur habitu tanquã adminiculo, necessitat ipsum ad opus; vt statim fusiùs explicabimus infrà. Primum non obscurè colligitur ex Scoto in primo dist. 17. quæst. 1. sub lit. M. vbi vult, quòd habitus charitatis: *Sicut & quilibet alius habitus moralis habet inclinare determinatè ad obiectũ, siuè ad finem ex virtute obiecti, quam aliquo modo participat; nam sicut habitus intellectualis habet aliquo modo in se obiectum præsens, tanquàm sub ratione obiecti intelligibilis, ità habitus moralis habet quodammodò obiectum in se*

sub

ſub ratione boni diligibilis: & ità ſicut ille habet virtute obiecti quodammodò agere ad præſentiam obiecti;ita iſte virtute obiecti ſuo modo contenti,habet inclinare in obiectum. Ex quibus verbis ad propoſiti manifeſtationem ità diſcurrimus: Obiectum appetitui præſens moraliter ſeipſum inclinat, trahitquè potentiã; ergo etiam habitus ad proſecutionem eiuſdem obiecti moraliter prouocat illam. Antecedens nulli dubiũ eſt: Conſequentia patet manifeſta, quandoquidem habitus potentiam inclinans in virtute obiecti, quod imbibit, non debet obiecto pręcellere in ratione & facultate mouendi potentiã; quòd vtiquè contingeret, ſi phiſicè & non moraliter impelleret eam: phiſica quidem ratio, quę infallibilitatem effectus inuoluit,longè præſtat morali, qua poſita non ſemper executioni mandatur effectus.

Cæterùm huic reſpõſioni non eſt multùm innitendum, quia & ſi fateatur Scotus habitum mouere potentiam ad proſecutionem illius obiecti,quod implicat, in eiuſdem obiecti virtute: nihilominùs tamen omninò neceſsum eſt, vt alio inſuper motionis genere determinet eam, quòd liquidò patet; tùm quia ſeipſo formaliter habitus,quatenùs actuum exercitio gignitur,facultatem habet habilitandi potentiam:tùm quia de mẽte Scoti in 3.diſt.33. quæſt. vnica ſub lit. M. etiam in manu ſcribentis, & cytharizantis ex actuum reiteratione producitur habitus in cõſimiles actus inclinans;& tamen conſtat vel habitum illum nullum habere obiectum, vel quantùmuis habeat, quòd probabiliùs cen-

ſe-

ſemus. cùm neceſſariò motiuam ſaltem habilitare potentiam, cui proprium reſpondeat obiectum oportet; nullatenùs tamen moraliter excitat eam: quis enim ità deſipit, vt potentia loco motiua à proprio ſuaderi, & allici contemnat obiecto? Datur igitur aliquis habitus, qui propriam habilitat, inclinatquè potentiam in cõſimiles actus, illam autem non excitat in obiecti ſui virtute; ergo ſeipſo formaliter habitus independenter à quolibet extrinſeco facultatem habet prouocãdi potentiam in conſimiles actus, quam ex ſufficienti partium enumetatione phiſicam eſſe cenſendum eſt: concurrit tamen interdùm in ipſo vtraquè mouendi facultas, tunc videlicet quando perſuaſibilem, & apprehenſiuã obiecti potentiam actuat.

Sed contra hoc eſt, quia Scotus in 1.diſt.17.q.1. parùm ſupra lit.Mm.decernit, quòd non tantùm habitus infuſus, vt ſuprà retulimus: ſed etiam, *Quilibet alius habitus moralis habet determinatè inclinare in obiectum, ſiuè ad finem in virtute obiecti, quã aliquo modo participat &c.* Et in 3.diſt.33.queſt.vnica ſub lit.M.apertè concludit, quòd habitus acquiſitus in manibus cytharizantis, *Conceditur eſſe quædam virtus, quia quædam qualitas habilitans ad opus virtutis, moralis &c.* Cùm igitur in vniuerſum habitus quicunquè moralis in virtute obiecti potentiam inclinet in idem obiectum, & habitui determinanti potentiam loco motiuam, quæ nec perſuaſibilis eſt, nec apprehendit obiectum, nõ denegetur rationalis virtutis; cur ergo denegabitur illi vis moraliter mouendi potentiam in proprij obie-

cti sui virtute, falsũ est igitur habitum tũc solum phisicæ motioni superaddere moralem, quãdo persuasibilem & perceptiuam obiecti determinat, afficitquè potẽtiam.

Discussionẽ nimis sanè prolixam exigeret isthæc instantia modò proposita. Cęterùm nè semitæ nostræ videamur transcẽdere limites, breuiter ergo sic illam dissoluendam censemus, vt dicamus sicut ingenuè fatemur, non posse rectè deduci ex testimonio relato, Scotũ in vniuersum concessisse cuilibet habitui morali primariã facultatem inclinandi potẽtiam in finem honestum in virtutẽ obiecti, quod respicit: eam siquidem potestatẽ solus sibi vendicat habitus rigorosè moralis, qualem agnoscimus dũtaxat illum, qui rationalem afficit appetitum; vt Scotus in 3. dist. 33. quæst. vnica sub lit. H. ità concludens decernit: *Igitur in illo priori potest voluntas, cùm sit indeterminata & determinabilis sicut intellectus, generalẽ in se ipsam ex rectis electionibus habitum inclinantem ad rectè eligendum, & hic habitus propriĳssimè erit virtus; quia propriĳssimè habitus electiuus inclinãs ad rectè eligendum, sicut ex rectis electionibus generatur.*

Habitus autem sentientẽ appetitum perficiens, non nisi per extrinsecam denominationem, & materialiter habet, vt moralitatem includat; quemadmodùm etiam in nũc citato loco Scotus euidenter expressit, dum dixit: *Potest tamen concedi, quòd si voluntas volens potest imperare appetitui sensitiuo, vel moderando passionem eius, vel imperando prosecutionem, vel fugam; si sit actus appetitus sensitiui, potest derelinque-*

quere ex imperijs rectis aliquē habitum in appetitu sensitiuo inclinantem ad hoc, vt appetitus sensitiuus delectabiliter moueatur ad sensibilia ex imperio voluntatis: qui habitus derelictus licèt non sit propriè virtus, quia non habitus electiuus, nec inclinans ad electiones; potest tamen concedi aliquo modo esse virtus, quia inclinat ad illa, quæ sunt consona rationi rectæ.

Et id ipsum non obscurè colligitur ex secūdo dist. 42. §. *Ad quæstiones &c.* parū supra lit. B. vbi concluso ex Augustino actionem solius potentię liberæ posse vel ad vituperium imputari, statim explicans quo sensu possit esse peccatum in actibus potentiarum libertatis expertium, sic ait: *Ex quo sequitur, quòd in cogitatione, sermone & opere nō est peccatum formaliter, & primò; sed hoc est in solo actu voluntatis &c.* Sensitiuum igitur appetitū perficiens habitus, & si moralitatem inuoluat; eam aliundè, & per extrinsecam denominationem includit, quòd verificatur, vt liquet ex primo testimonio relato etiam de habitu generato in ipso, ex solis reiteratis imperijs rectis potentię liberæ: & tamen iste vt totaliter ab ea liberrimè imperante productus in eodem appetitu, imperia terminante dumtaxat, procul dubio excellētiorem deberet amplecti moralis habitus rationem, vt patet ex habilitate illa, quæ gignitur exercitio actuū eiusdem sentientis appetitus. Vndè est, quòd euidenter ità discurrat: si quilibet actus sensitiuum appetitum inclināns, etiam ille qui ex liberè imperante potentia generatur in ipso, ità deficit à vera moralis habitus ratione; vt nullatenùs

for-

formaliter intrinſecè: ſed aliundè, & ab extrinſeco tantùm, neſcio quam moralitatis participat vmbram; quãtò magis igitur à vera & rigoroſa moralitate deficiet quilibet habitus in frequenter ſcribẽte manu productus, & ille præſertim, qui totaliter à libera potẽtia nõ trahit originem.

Prætereà obiectum illud, in cuius virtute inclinat potentiam habitus, & vtriquè debet eſſe commune, & per ſe primò in ipſum idem obiectum ferri debet vtrumq;: at nec cytharizantis facultas, nec conſequenter habitus, qui perficit eam, ſub illo militant obiecto, quod per ſe primò reſpicitur à potentia propriè finem intendente virtutis, quandoquidèm ſuperioris obiectum omninò excedit inferioris potentiæ limites; nequit igitur cytharizantis habitus, nec in virtute proprij, nec multò minùs à virtute improportionati, & ſublimioris obiecti ad finem honeſtum altiorem inclinare potentiam.

Vndè concludamus tandem, & dicamus qualitatem exercitio cytharizandi productàm in manu; cùm ex dictis non ſit habitus rigoroſè moralis non tantùm ſibi arrogare, vt in cuiuſuis obiecti virtute in ſtudioſum finem liberam præſumat inclinare potentiam. Mouet tamen, & inclinat eo modo (quo poteſt) ad conſimiles actus in virtute obiecti, quod reſpic it affectã ab ipſo cytharizandi potentiam.

Reſpõſionem hanc veluti nihil, aut parùm ſatisfacientem propoſito dubio dimittàmus, & aliam in medium adducamus: ſed antequàm proferamus eã, priùs ex relata Scoti doctrina aduertendum duximus illud,

vt etiam speciei siuè sensibilis, siuè intelligibilis sit; concedamus facultatem inclinandi potentiam in eius obiecti virtute, si verum est quòd habitus eodem vel simili fungatur officio: tùm quia nunquàm sufficiens adducetur disparitas; tùm quia cùm species, & non habitus sit impressa similitudo obiecti; procul igitur dubio maior inter istud & illam, quàm inter habitum & proprium eius obiectum intercedat affinitas, ergo in specie magìs quàm in habitu claudetur, & imbibetur obiectum, ergo non tantùm similem: sed etiam maiorẽ quàm habitus ex obiecto virtutem inclinandi potentiam species assequetur impressa; & forsan à fortiori hoc ipsum munus exercet species expressa, quoniam ipsa magis ad viuũ obiecti, repræsetnat obiectum.

His premissis respondemus secundò, iteratò negantes potentiam, & perficientem habitum eius ad operãdum prouocare sese eiusdẽ rationis impulsu: cuius verò diuersitatem aliundè, quàm ex superiori Propositione colligemus, & indè præsertim quia potẽtia mouet; habitus autem inclinat: illa mouendo necessitat; hic verò inclinando habilitat, & illa ideò ad operandum necessitat habitũ, quia vt instrumẽto vtitur ipso: iste verò ideò potẽtiã inclinãdo habilitat, quoniam ipsam suaui quodam stimulo ad consimiles actus semper prouocare contẽdit; quam tamen si de facto prouocari contingeret, statim prouocata promptior, & expeditior ab eiusdẽ stimulantis habitus adiuuamine redditur. Antecedenter igitur, & concomitanter ad operationem inclinat potentiam ha-

habitus, ratione tamen diuersa: nam antecedenter excitando, & præcisè prouocando sic illam ad operandũ impellit; vt nunquàm ex vi talis impulsus immediatè, vel proximè ad productionẽ actus applicet eam. Concomitanter autem eidem iam lacessitę & in actum erumpenti potẽtię expeditionem, promptitudinem, facilitationem, delectationemquè communicans quasi equo currenti calcaria adhibet. En igitur quàm diuersa ratione potẽtiam habitus, habitumquè potentia moueat.

Hanc motionis diuersitatem seriò Scotus decreuit in 4. dist. 49. quæst. 6. sub lit. D. vbi respuens illorum sententiam, qui sustinent creatum intellectũ ad visionem beatificam ex luminis gloria; voluntatem autem ex charitatis habitu necessariò determinari, sic arguit: *Contrà tertiam positionem argui potest, quòd habitus non potest esse prior causa operationis, quàm potentia, sed semper secunda; quia illud est potentia, quo simpliciter possimus, vnd è habitus non vtitur potentia: sed potentia habitu sicut causa scunda & instrumento, causa autem prior non determinatur ad agendum; nec per consequens necessitatur per causam secundam, sed è conuerso.* In quo testimonio licèt nõ explicuerit euidenter habilitãtem tantùm, & in efficacem impulsum cõpetentem habitui, sicut conceptis verbis expressit necessitatem, & efficacem motum conuenientem, peculiaremquè potentiæ: ex eo tamen quòd asserit sibi semper habitum, vt ad potentiam comparatum, esse secundam & istrumentariam causam; idest essentialiter, & rigorosè in operando subordinatã eidem:

optimè deducitur habitum quatenùs implicat facultatē potentiæ stimulatiuam, & promotiuam ad opus alterius rationis impulsu, quàm necessitando mouere potentiam; nisi velimus sic essentialiter subordinatam habitui fateri potentiam, sicut sibi subditum asserimus habitum.

Ad hanc eandē designandam subordinationem, & per consequens mouēdi vulgatum illud axioma sępè sępiùs repetit Scotus, *Potentiam* esse, qua simpliciter possumus; vt hinc distingueret illam ab habitu, quo sic & aliqualiter possumus, vt præsertim in 4.dist.44. q.2. parùm supra lit.A. §. *Aliter dicitur &c.* vbi reijciens opinionem Henrici sustinentis, propter demeritū exhiberi damnato spiritui supernaturalem quendam habitū, per quem corporali subijciatur agenti, sic impugnans discurrit: *Præterea habitus non est, quo simpliciter possumus, sed quo aliqualiter possumus; ergo in quo non est potentia simpliciter ad agere, vel pati, in eo non est potentia ad sic agere vel pati: sed in natura illa non est sufficienter potentia ad pati, nec ille habitus potest dare posse; quia non est potentia &c.* Patet ergo quàm dissimili ratione sese moueant, & omninò difformiter ad operandum impellat potentiam habitus, habitúq; potentia; non est igitur cur in ipsis contradictionem, quā in Propositionis huius initio proposuimus, atq; deduximus, suspicari possumus. Patet etiam iam fuisse repertam responsionem illam, quam propter dissolutionem bis obiectæ rationi, alibi nobis exquirendam cōmisit, pręcepitquè Scotus, vt superiùs ex ipso retulimus.

Quan-

Quantùmuis enim concedamus habitum inclinare potentiam; indè tamen nunquàm sibi per comparationem ad illam rigorosè superioris agentis, vel rationem, aut nomen arrogare valebit: vera siquidem, propriaquè causa superior non ea est, quæ leuiter stimulat, sed illa quæ sic efficaciter prouocat sibi subditum agens, vt determinet & necessitet illud ad opus; quemadmodùm contingit in ipsa potentia, si perficientem moueat & rapiat habitum.

PROPOSIT. XXVI.

In qua contra præcedentis Propositionis veritatem adducuntur nonnulla dubia, & soluuntur.

ENeruabunt, & funditùs euellent precedentis Propositionis doctrinam, secunda ad principale dubiũ responsione comprehẽsam, quæ possent obijci subsequentia dubia; nisi dùm proposita fuerint, accuratè nitamur illis. Primum igitur dubium illinc emergit, quia dictum est impulsum ab habitu potentiæ præstitum diuersificari, & esse alterius rationis ab ea motione, qua potentia determinat habitũ: huius tamen oppositum indè liquescit apertè, quoniam cùm habitus non moraliter vt patet, sẽd phisicè potentiam inclinet ad opus; nisi medium inter moralem & phisicum effingas impuls ũ, erit igitur habitus motio omninò eiusdem rationis cũ ea, qua potentia eundẽ prouocat habitum: tùm quia nec ipsa potentia moraliter, sed phisicè tantùm excitat habitum, tùm quia per hoc quòd efficienter ipsa mouetur ab habitu, oportet vt sic illam

illam impellens determinet, & necessitet eam ad opus; quemadmodùm elucescit ex motionis phisicæ definitione tradita & admissa cõmuniter, ergo sicut ex facultate determinandi, & necessitate mouẽdi proprium habitum superioris causæ rationem potẽtiæ tribuimus: sic etiam ex eodem capite non denegamus idipsum habitui; ergo firma & in suo robore perseuerat adhuc contradictio, quam in superiori Propositione proposuimus.

Primum dubiũ istud nullius ponderis, vel parui momenti nonnullis fortasse videbitur. Cæterùm si subtiliùs expendatur, non erit facile difficultatem eius recidere: motio siquidem, qua potentiam excitat habitus, nec concidit cum phisico; cùm ad ipsam non sequatur effectus infallibiliter, nec cõcidit cum impulsu morali, cùm non excitet trahatquè potentiam per propositionẽ obiecti. Ex alio capite tamen vtramquè motionem participare videtur, quia quatenùs ex solius habitus entitate quouis obiecto secluso dimanat, non recedit ab impetu phisico: sed quatenùs non producit effectum infallibiliter ad moralem impulsum accedit. Quid igitur dicemus ad hæc? vel quæ semita in hoc biuio positis esigẽda nobis occurret.

Posset quis respondere, fortasse non satis certò constare phisicã motionem dũtaxat infallibilem effectus euentum inuoluere; cùm sicut nunc infrà dicemus, etiã moralis impulsus infallibilitatem præseferat eandem. Inepta igitur erit illatio, si dicatur habitus phisicè potentiam applicat; ergo necessitat eam ad opus: esset vtiquè necessaria deductio, si phisi-

phiſicũ agens quatenùs phiſicè mouens neceſſariò moueret; ſed quia, vt oſtendemus inferiùs, aliundè quàm ex eo, quòd phiſicè moueat, mouẽdo, mouẽdo neceſſitat quãdo neceſſitat: quãtũuis igitur habitus phiſicè ſtimulet impellatquè potentiam, ſemper illinc inferretur ineptè; ergo determinat, & neceſſitat eam ad actũ. Concurrit ergo contradictio, quã ſuperiùs ex vtriuſquè vniformi ratione mouendi deduximus.

Priorem propoſitionem aſſumptam, non eſt cur inficientur etiam illi, qui de mẽte D. Thomæ phiſicum tuẽtur influxum; apertè ſiquidẽ D. Thomas defendit obiectum voluntati propoſitum, efficaciter interdùm appetẽtem mouere potentiam. Ità de increato obiecto ſuſtinet ipſe pluribus in locis, ſed præcipuè in 1.q.82. art.1. in corp. & in reſponſ. ad 3. ibidem etiam art. 2. in reſp. ad 2.q. 105. årt. 4. in corp. & q.106. art.2. in corp. idipsũ inſinuat in 1.2. q.9. art.6. in corp. & q.10. art.1. in corp ſed euidentiùs art.2. in corp. & in reſp. ad 1. & 2. In his omnibus citatis locis aſſertiuè concludit finem vltimum creatæ voluntati clarè propoſitum, ſic efficaciter illam allicere, vt omninò ad amoris productionem neceſſitet eam.

Sed reſpondebis non poſſe colligi propoſitum ex iam citatis teſtimonijs, mota ſiquidem difficultas & quęſtio, ſolùm reſtringitur ad elicitum volũtatis amorem; an videlicet increatum obiectum voluntati createę patenter oblatum tantę ſit virtutis & efficaciæ, vt ad ſui productionem amoris rapiat eam? Sanctus autem Doctor vbi ſuprà contendit finem vltimum

mũ, vt sic apprehensum necessitare voluntatem non ad productum amorem; sed ad naturalem appetitum dumtaxat.

Huic D. Thomæ testimoniorum explicationi facilè subscribet is, qui D. Thomę contextum non viderit: at qui semel ipsum aspexerit statim deprehendet datam explicationem nulla ratione posse cohærere cum intentione, & litera S. Doctoris, vt præ alijs in eius doctrina solertior aduertit, & exponit Caietanus, præsertim in p. 1. quæst. 82. ar. 1. vbi dilucidãs in quo conueniãt & discrepent D. Thomas & Scotus in exprimendo, qua ratione videlicet creata voluntas necessariò feratur in beatitudinem indistinctè conceptam, hęc habet ibi formalia verba: *Vndè nos appellamus naturalem appetitum, non solùm inclinationem volũtatis in obiectum; sed illum actum elicitum determinatum, quò ad specificationem &c.* Et paucis interiectis subiungit: *Sed in secundo cõclusionis sẽsu scilicet quòd voluntati non repugnat habere aliquem actum elicitũ, qui sit ei omninò naturalis; scilicèt quò ad specificationem & exercitium, differimus non solùm verbis, sed reipsa &c.* Ex quibus verbis apparet euidenter vltimum finem clarè visum necessitare creatam voluntatem, non solùm ad specificationem: sed etiam ad exercitium amoris eliciti. Non habet igitur vndè prę fata responsio subsistere valeat.

Cæterùm respõderi posset acutiùs ex eodem Caietano, pręsertim in 1. 2. quæst. 11. art. 2. vbi contra conclusionem, qua D. Thomas decernit ibidem creatam voluntatem videlicet à nullo prorsus obiecto

ex

ex necessitate moueri quantùm ad exercitium actus obijciens illud, quod moueatur, vt sic à clarè viso fine supremo; vt tandem obiectioni satisfaciat, asserit voluntatem non moueri necessariò ad exercitiũ actus in patria ex clarè apprehensi obiecti virtute, vel efficacia: sed ex eo, quod ibi est in certa quadam dispositione, ad quam necessariò & naturaliter sequitur volitio. *Vndè* (concludit) *quandocunquè volũtas necessariò mouetur ad exercitium, necessitas illa nunquàm est ab obiecto; sed à natura, & à naturæ Datore &c.* Ex Caietano igitur vbi suprà, & alibi euidenter habetur ex vltimi finis intuitiua notitia nullatenùs exercitij; benè verò specificationis necessitatem inferri. Et licèt in patria cum ista simul illa concurrat, non ambę tamen asserit ex eodem capite, trahunt originem: exercitij nãquè necessitas ex supernaturali volũtatis dispositione deducitur; specificationis verò necessitas ex omnimoda perfectione apprehensi obiecti colligitur. Accidit enim obiecto ex propria bonitate voluntatis actum necessariò specificanti, quòd cum eiusdem actus necessitate specificationis concurrat exercitij necessitas: obiectum siquidem vndequàquè perfectum quatenùs volũtati clarè propositum, illud tãtùm ex proprio cõceptu formaliter implicat, vt simpliciter necessariò eiusdem voluntatis actui specificationem elargiatur amoris; & quemadmodùm fusè declarat p. 1. quæst. 80. art. 2. appetibilis obiecti facultas, & virtus quatenùs mouens immota spectata illuc vsquè pertingit, & eo peculiariori munere fungitur, vt appetitum de potentia ad

ſpecificatum dumtaxat reuocet actum; eò vel maximè quia voluntas ſimiliter non alium quàm ſpecificatum, & quatenùs ſpecificatum ab eodem obiecto recipere poteſt, & recipit actum.

Cæterùm hæc quę poſſet ex Caietano deduci, & afferri reſponſio, non adimit vltimo fini de mente Sācti Doctoris tributam ſibi virtutē, qua volūtatem ad proprium eius amorem alliciat efficaciter: nam & ſi gratis concedamus, ſicut libentiſſimè Caietano concedimus, non ità viribus valere apprehenſum obiectum vt phiſicam habeat facultatem mouendi ad exercitium actus creatam voluntatem in quouis ſtatu, & quomodocunquè ſpectatam; nullatenùs tamen ſuę ſententiæ ſubſcribemus, ſi vires eiuſdem obiecti ſic infirmare, & eneruare contendat vt moralem etiam efficaciam, qua voluntatem eādem ad actus exercitium infallibiliter prouocet, ſibi denegare pręſumat: illud ſiquidem ſi docere tentaret, vt apertè docere videtur præſertim in 1.2.quęſt.10.ar.2. nec D.Thomæ mentem attingeret, nec ſibi ſatis conſtans appareret; & funditùs tandē ex appetibili apprehēſo obiecto finalē cauſalitatē euelleret. Liquet primum etiam ei, qui S.Thomę limina tantùm attigerit, vt ſatis euidēter clareſcit ex omnibus ſuprà citatis eius teſtimonijs, in quibus dum apertè fatetur bonum in vniuerſali conceptum, vltimumquè finem diſtinctè clarèquè proſpectum ea pollere virtute, vt neceſſariò & efficaciter appetitum immutet, & ad propriū eius trahat amorem, expreſſiùs confitetur vlteriùs virtuoſam efficacēquè

què causalitatem, quam ad volũtatem infallibiliter blãdiendam & eliciendam exercet; aliter esset penitùs intellegibile, qua ratione videlicet necessariò & efficaciter amantem potentiam immutare & pellicere dicatur.

At inquit Caietanus, vt sæpè sæpiùs explicat repetitquè multis in locis, & præcipuè in 1.2.quæst.10.art.2. obiectiuam vltimi finis efficaciam & monitionem in eo tantùm consistere, & ad illud dumtaxat extendit, vt solam specificationem largiatur & exhibeat actui. *Ita enim* (inquit) *necessariò specificat, quod est obiectiuè monere, quod impossibile est aliter se habere; quoniam non potest non specificari actus voluntatis ab eo &c.* Ad actus autem exercitium omninò propriã eius attẽdendò naturam infirmum ineptumquè fatetur obiectum, quantùmcunquè videatur apertè, imperfectiones omnes excludat, & perfectiones cunctas includat; quemadmodùm plusquàm euidenter patet ibidem.

Cùm igitur ex Caietano in vltimi finis intuitu non alia respectu voluntatis cõtingat agnosci causalitas & efficacia, quàm obiectiua quædam facultas & virtus ad solius actus specificationem restricta; non est ergo cur ex citatis Diui Thomæ testimonijs, quantùmuis appareat quòd decernat in illis bonum in cõmuni, vel particulare supremum patenter inspectum, efficaciter amantem immutare potentiam, ad exercitium actus colligi possit impulsus. Sed miramur Caietanum Thomistarum omnium facilè Principem ità hìc defecisse, vt etiã de mente S. Doctoris clarè visi finis vltimi vires ad solã actus specificationem limi-

tare præsumpserit: cùm S. Doctor illud præcipuè cōtendit, vt finis sit is, qui ex vi concipientis & apprehendentis intellectus appetitui præsens antecedēter ad omnem actus non solùm specificationem; sed etiam productionem simpliciter per propriam eius bonitatem, perfectionemquè intrinsecā appetentē potentiam, velut cōsopitā alliciēdo exsuscitat, exsuscitatā pungit & stimulat, stimulatam inclinat & applicat ad trahentis finis amorem: quemadmodū Sole clariùs relata testimonia demonstrant, & præsertim id quod desumptū est ex p. 1. q. 105. art. 4. in corp. vbi concludit nihil posse sufficienter & efficaciter aliquod mobile mouere; *Nisi virtus actiua mouentis excedat, vel saltē adæquet virtutem passiuam mobilis: virtus autem passiua voluntatis se extendit ad bonū in vniuersali, est enim eius obiectum bonū vniuersale &c.* Et paucis interiectis subiungit: *Solus autem Deus est bonum vniuersale, vndè ipse solus implet voluntatem, &c. sufficienter eam mouet vt obiectum &c.*

In quibus verbis illud diligenter aduertendum est, Deum videlicet in ratione obiecti, & vniuersalis boni passiuitatem mouendæ voluntatis ea lege attingere, vt illam adæquet, & impleat; & ità simpliciter adæquare, vt indè sufficienter & efficaciter moueat ipsā. Sed eiusmodi motio non habet vndè in actus specificationem influere valeat, necessariò superest igitur vt appetenti potentiæ, cuius capacitatem adęquat & implet exercitiū actus, velut intimans ad productionem actus exsuscitet & prouocet ipsam. Consequentia patet à sufficienti

par-

partium enumeratione: Minor subsũpta probatur, quia cùm specificatio ad actus substantiam comparata, sit ipsa posterior,& qualitas specificās eam(vt Caietani verbis vtamur in p.1.quæst.80. artic. 2.) solam eiusdem actus substantiam, quatenùs specificandam vel modificādam, respicere igitur obiecti specificatiua facultas & motio, quę modificationem actui tribuit,ad solius actus specificationem restringitur; ergo nullatenùs ad voluntatis passiuitatem implendam extenditur, ergo sub alio conceptu,quàm sub ratione specificantis passiuitatē eius adæquat, & efficaciter indè mouet, & prouocat illam: atquì sub ea ratione ad specificatiui conceptũ diuersa, non mouet ad actus specificationem, vt patet;ergo necessariò ad eiusdē actus exercitium appetitiuũ incitabit, mouebitque potentiam.

Breuiter ergo dicamus, quod actus vti specificabilis obiecto vt specificatiuo respondet, sicut Caietanus etiam fatetur in p.1.q. 80.ar. 2.vbi sic asserit: *Constat autē quòd specificatio actus est posterior, quàm sit substantia actus specificati, & quòd specificatio respōdet obiecto,& substantia actus appetitui &c.* Volũtas verò quatenùs passiua, vel mobilis quòd idem posset, omninò eidem quatenùs motiuo correspondet obiecto: & quòd quatenùs possibilis,vel mobilis est obiecto,vt motiuo respondeat atquè subdatur; Sole clariùs patet ex D. Thoma in p. 1. quæst. 82.artic. 2.in respōs. ad 2. vbi hæc habet formalia verba: *Ad secundum dicendum mouens tunc ex necessitate causat motum in mobili, quando potestas mouentis excedit mobile; ità quòd tota*

eius

eius possibilitas mouenti subdatur &c.

At diceret Caietanus, quòd quàmuis obiecti specificatiua virtus & motio, vt specificabilem respiciat actũ: illum tamen non attingit specificandũ extra, sed intra voluntatem, quæ specificatum recipit actum productũ, quo fit vt obiecti specificatiua facultas eoipso, quòd specificat actum, simul etiam appetitum attingat; vt concludit Caietanus in p. 1.q. 80.art.2.dicens; *Et sic appetitus est potentia verè passiua ab obiecto, quia reducitur ab eo de potentia ad actum specificationis, recipitq; ab eo actũ specificatũ in quantũ specificatum &c.* Falsò deduximus igitur attribuentes obiecto, quatenùs specificatiuo virtutem, qua specificet actum & non efficaciam, qua potentiam ad eundem vt specificatum moueat actum; tùm quemadmodùm ex verbis Caietani liquescit, necessariò sibi etiam vt specificatiuum est, vtrumquè conueniat.

Sed facili potest negotio præcludi Caietanicum istud effugium, tùm primò quia specificatio per ipsum Caietanum sit qualitas subsequẽs actus substantiam, necessariò sibi correspondere debebit eiusdem actus substãtia pro immediato recipiente subiecto; eo vel maximè quoniã actus substãtia & non appetitus à specificatione velut à superueniente forma expostulat affici, ergo vel actus specificatio nõ recipitur immediatè in appetitiua potẽtia, & per consequens non appetitus: sed actus substãtia erit illa dũtaxat, quę ad specificationis receptionẽ transmutabitur, & de potentia ad actum à specificante obiecto ducetur, vel si postquàm fuerit recepta in actus substan-

ſtantia, tanquàm immediatiori ſubiecto recipietur vlteriùs in appetente potentia (quod putamus impoſſibile ex adæquatione ſubiecti) tūc per accidens competeret ſibi ſpecificatio intra potentiam: quia ex ratione ſui proprij per ſe primò ſubiecti actus ſubſtātiæ, videlicet quę cùm ſit exercitium potentiæ vitalis, excidit; vt intra limites eiuſdē potentiæ producatur. Cæterùm ſi per poſſibile, vel impoſſibile produceretur ſubſiſtenter extra ſubiectū, vt in Diuinis ſpiratus amor produci contingit, adhuc eadē actus ſubſtantia vt ſic in eſſe producta, optimè tunc in ratione paſſi proportionati ab influxu ſpecificantis obiecti ad ſpecificationem tranſmutaretur, & in ratione adęquati ſubiecti reciperet eam.

Tùm ſecundò quia in pręcitato loco p. 1. quęſt. 80. art. 2. loquitur Caietanus de appetitus potentia ad actum reductione, quæ duplex eſt, & fit per hoc, quòd in eodē appetitu ſecundum ipſum producitur actus ſecundum ſubſtantiam, & ſecundum ſpecificationem à proprijs vtriuſquè principijs; vt non obſcurè colligitur ex eius verbis ibidem, vbi decernit actus ſubſtantiam appetitui, & eiuſdem actus ſpecificationem reſpondere ſpecificanti obiecto in ratione producti effectus. Audiamus eius verba, ſi placet: *Dicendum eſt* (inquit) *quòd appetibile & appetitus poſſunt dupliciter comparari, ſcilicet in ordine ad actum appetitionis communem vtriuſq; effectum, & inter ſe; ſi comparantur ad communem effectum, ſic appetitus inuenitur cauſa prior propter dictam rationem: ſemper enim quod eſt prius in effectu, reſpondet priori cauſæ; & quod eſt poſterius, poſteriori: conſtat*

constat autem quòd specificatio actus est posterior, quàm sit substantia actus specificati, & specificatio respondet obiecto, & substantia actus appetitui: igitur appetitus prior inuenitur causa efficiens in ordine ad actum; si autẽ comparentur inter se, sic appetibile inuenitur causa prior, quia appetibile reducit appetitum de potentia ad actum specificationis, & non è conuerso &c. En quàm apertè contendat exprimere nobis eas vitalis principij reductiones, quibus per operationem secundum substantiam, & secundum specificationem à proprijs vtriusquè correspondentibus principijs productam in ipso de potentia reuocatur ad actum; ea tamen lege vel sẽsu, vt huiusmodi reuocatio simultaneum & operationẽ concomitans dicat exercitium, vel potiùs operationem exercitam & in fieri pẽdentem à proprio producẽte principio, dumtaxat importet.

At nos non loquimur nunc de transmutatiua vel effectiua vitalis principij reductione de potentia ad actum, sed propriè disputamus de applicatiua & infirmatiua eiusdem principij reuocatione de potentia ad actum; quæ videlicet reuocatio dicat excitationẽ, & prouocationem quandam ad operationis productionẽ exercendam à vitali principio in signo subsequẽti ad eius applicationẽ: ita vt isthæc applicatio, vel reuocatiua præmotio sit exercitium & vsus principij tantùm, quod ex vi eiusdem vsus, & exercitij prioris mox in posterius exercitium actus erumpere debeat. Nostra igitur controuersia, & proposita difficultas in eo propriè consistit, vt quæramus, & indagare co-

conemur; an videlicet dato quòd ſupremum appetibile, vel vltimus finis euidenter apprehẽſus, nõ reducat appetitum de potentia ad actum per cooperatiuũ influxum, in operationem ipſum ſaltẽ reducat, vt ſic per antecedẽtem impulſum actum volũtatis primæuum, qui prouocet & applicet ad operationis exercitium infallibiliter ex præcedenti voluntatis exercitio, vel vſu futurum? Eo pacto videlicèt quo etiã ipſemet Caietanus in p.2.q.90.art.1.concludit impulſari & applicari ad proprias eorum operationes ex imperio voluntatis omnes illas potẽtias, quibus vtimur, cùm volumus. Et explicans ibidem quid intelligat S. Doctor per *reduci potentiam ad exercitium actus*; ità demùm decernit: *Conſtat enim quòd per exercitium actus hic nil aliud intelligitur, niſi applicatio potentiæ ad ſuam operationem.* Ad cuius corroborationem citat D. Thomam in eadem p.2.quæſt.16.ar.1.ità dicentem in corpore: *Dicendum quòd vſus rei importat applicationem rei illius ad aliquam operationem &c.* Sed euidentiùs repetit hoc ipſum quęſt. 17. art. 3. in corp. dicens: *Imperium autem non eſt in actu eius, cui imperatur; ſed naturaliter priùs eſt imperium, quàm imperio obediatur &c.* Per imperium enim intelligit actiuam imperantis motionem, qua ſubditam excitat & applicat cauſam ad opus: & per obedientiam, quã imperanti præſtat inferius agens intelligit illius egreſsũ & proruptionem in exercitium actus, vt euidenter colligitur ex eadem q. 16. artic. 1. in corpore, vbi S. Doctor ità cõcludit. *Vndè relinquitur, quòd imperare ſit actus rationis præſuppoſito a-*

ctu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus. En igitur quàm manifestè distinguat S. Doctor inter exercitium potentiæ, & exercitium actus.

Tùm deniq; tertiò, quoniam estò quòd loquatur ibi de applicatiua reductione potentiæ ad exercitiũ actus; ità videlicet vt nũquàm obiectum specificet actum, nisi ex vi propriç specificatiuç virtutis priùs naturaliter moueat, applicetquè potentiam ad exercitium actus in subsequenti signo futuri: tunc manifestè conueniret nobiscum, nostramquè sustineret sententiam; quando quidem nos illud tãtum ad intentionem D. Thomæ aduersus ipsum contendimus, vt apprehensũ appetibile saltem supremum ea virtute & efficacia polleat, vt appetentem potentiam ad exercitium actus applicare possit, & valeat.

Sed fortè Caietanus vltimam hanc derideret instantiam, siquidem diceret propriam eius opinionem longiùs esse diuersam à nostra sententia. Nos enim asserimus apprehensum obiectũ eo sensu in appetitũ influere, vt reuocet ipsum ad exercitium actus simpliciter. Ipse verò fatetur appetẽtem potentiam ab obiecto specificãte reduci de potẽtia ad exercitium actus specificati dũtaxat, vt ex illius verbis liquescit. Commisimus igitur fallaciam arguendo à secundum quid ad simpliciter, dum ex appetitus reductione de potẽtia ad exercitium actus specificati, & quatenùs talis eiusdem appetitus reuocationem intulimus de potentia ad exercitium actus simpliciter.

Sed non est, cur Caietanus

nus instãtiam derideat, cùm nec derisionis vlla sibi prę-stetur occasio, nec ex adducta re spõsione ad nostr declinandam, effugiendamquè sententiam, quid sibi promittere possit, app aret; optima siquidẽ est, vt statim explicabimus, isthæc illatio. Ab appetibili, & conuenienti obiecto reducitur appetitus de potẽtia ad exercitũ actus specificati; ergo idem appetitus ab eodem reuocatur obiecto de potentia ad exercitium actus simpliciter. Cõsequentię bonitas, & euidentia Sole limpidiùs indè lucescit, quoniam actus specificatio, nec posterior, nec est reipsà seiuncta ab eiusdem actus substantia; cùm adeò sibi sit intima, vt propriam eius ingrediatur essentiam, illamquè constituat: ergo dũ appetibile appetententẽ potentiam impulsat & applicat ad exercitium actus, si de potentia re ducit illam ad exercitium actus specificati; oportet omninò vt simul etiam in eodem prorsùs indiuisibili signo, reuocet eam de potentia ad exercitium actus simpliciter. Consequẽtia luce merediana clariùs emicat: antecedens conceptis verbis est ipsius Caietani in p. 1. quæst. 77. art. 3. vbi explicans mentem S. Doctoris proponẽtis ibidem difficultatem; ex quo capite scilicèt potentiarum & actuum debeat desumi distinctio, concludit eo sensu potentias per transcendentalem ordinem ad proprios actus, & actus per similẽ ordinem ad eorum obiecta, à priori specificationem sortiri: *Quòd* (subiungit) *non per aliquid superadditum, sed per suas essentias essentialiter ordinem habent ad actus &c.* Et vt cætera complecteretur, & exprimeret eiusdem furfuris

entia, paucis interiectis hæc verba subnectit: *Vndè non oportet afferre aliter obiectiones aliorum, nec aliter examinare; omnia enim ex hoc vno pendent, quòd potentia, actio, & passio, & huiusmodi entia essentialiter specificantur esse, & vnitatem & diuersitatem habent ex intrinseca quidem differentia, sed non abstrahente ab extrinseco obiecto agente, fine, vel actu &c.* Quid clarius?

Ex hoc eodem testimonio manifestè deducitur insuper Caietanum non satis vbi constitisse, quando quidem hìc apertè fatetur actus specificationem, quæ per ipsum nil aliud est formaliter, nisi eiusdem actus ad proprium eius obiectum quidã transcendentalis ordo in ipsius essentia, vel substantia ità imbibitus; vt nè ratio quidem independenter ab ordine tali concipere valeat illam. In questione verò 80. art. 2 quasi dictorum oblitus istorũ actus specificationem, nunc qualitatem appellat, nunc quid posterius actus substantia nominat: Sed qua ratione quæso sibi inuicem ista coherebunt asserta, vt ex vna parte decernat specificationem esse formaliter ordinem, & per consequens entitatẽ ad aliud; & ex alio capite asserat esse qualitatẽ & consequenter ens absolutum? an fortè absolutum & respectiuũ in vnum formaliter coire posse censebit.

Præterea quo sensu sese compatientur hęc alia, vt hinc fateatur specificationem in actus essentia claudi formaliter; & indè concludat veluti quid posterius & accidentariũ eiusdem actus superaddi substantiæ? vel si superaddita, & posterior est; cur igitur intellectus actus substantiam pręscindere nequi-

quibit ab ea? vel si econtrà tanquàm specifica differentia in actus essentia clauditur; qua igitur ratione obiectum in substantiam tunc simul non influet dum actus specificationem attingit.

Aliam demùm inconstantiam Caietani in hac ipsa materia deprehendimus; obiectum siquidem vt nunc suprà deduximus; etiã quatenùs specificans est vitale principiũ, de potentia reducit ad exercitium actus simpliciter, & saltem ex ore ipsius Caietani in p. 1. quæst. 80. artic. 2. *Appetitus est potẽtia verè passiua ab obiecto, quia reducitur ab eo de potentia ad actum specificationis, recipitquè ab eo actum specificatum in quantùm specificatum &c.* Et hoc vt asserit ibi efficienter ab ipso, quatenùs apprehenso; in p. 2. tamen quæst. 10. artic. 2 sic ad exercitium quomodòcunq; motiuã obiecti facultatem extinguit, vt nè vmbrã quidẽ similis motiuæ virtutis relinquat, vel agnoscat in illo. Audiamus, si placet, quid recolligendo sarcinulas concludat ibidem: *Et si horum* (inquit) *vltimam resolutionẽ cupis, recolito supradictorũ; scilicet quòd voluntas quò ad exercitium tres tantùm habet motus, scilicet seipsam, suam naturam & Deum, vt agentem, non vt obiectum. Ex quo enim patet, quòd modus exercitij aliundè est, vndè siuè liberè, siuè necessariò voluntas exerceat suum actũ, nunquàm ex parte obiecti causa requirẽda est; sed agentis (vt dictum est) triplicis, & in hoc quiescat intellectus tuus &c.* Quiescant, qui velint; quia nos, immanifestè pugnantibus, non solùm nullam trãquillitatem; sed maximam intellectus inquietẽ experimur.

PRO-

PROPOSIT. XXVII.

Notantur nonnulla.

NOtandum est etiam Deum semper antecedenter se habere ad quamcunquè nostram actionem, idest Deum nunquàm expectare nostram volũtatem agentem, vt consequenter ad illam agat ipse; quasi verò priùs volũtas determinet, & moueat se ad agendum, & posteriùs Deus siuè simultaneè cooperetur ipsi voluntati, tribuendo sibi auxilia cõuenientia, & hoc satis abũdè probatum est suprà, sed adhuc ostenditur hanc fuisse veram & propriam intentionem Scoti. Ipse enim in primo dist. 17. quęst. 2. sub lit. Q q. respõdendo ad secundũ secundæ viæ, habet hęc verba: *Dico ergo, quòd Spiritus Sanctus cooperatur voluntati habenti charitatem, ità quòd Charitas eius sit causa prior mouens Spiritum Sanctum ad cooperandum; sed quia Spiritus Sanctus omni causæ secundæ generaliter cooperatur ad illum actum, ad quem secundum formam suam ordinatur, quomodò est diligere in voluntate habituata &c.* Quæ verba ex se ipsis Sole lucidiorẽ ostendunt nostram sententiam: nam ex ipsis colligitùr Deum non solùm non expectare voluntatem nostram, vt moueat se quando non est habituata, sed nec etiam quãdo est habituata; nõ enim (ait ipse) Spiritus Sanctus cooperatur voluntati habituatæ, quia habituata: quasi verò charitas eius sit causa prior mouens Spiritũ Sanctum ad cooperandum, non (inquam) hæc ratio formalis; quia tunc Deus dependeret ex creaturis in suis actionibus: sed ratio formalis est, quia Spiritus Sanctus ge-

generaliter omni causæ secundæ cooperatur ad illum actum, ad quem secundum formam suã ordinatur, ideſt ad quem actus ipſa cauſa ſecunda præordinatur, & præmouetur à Deo ſecundum formam ſuam, ideſt iuxta inclinationem illius formæ ſeù habitus, qui informat cauſam ſecundam: ſcilicèt quòd ſi voluntas (exempli gratia) eſt informata charitate, Deus cooperatur ipſi voluntati ad illum actum, ad quẽ ex præordinatione Diuina inclinat ipſa charitas, ſcilicet ad actum dilectionis & fruitionis Dei; aut ſecundum formam ſuam, ideſt iuxta propriam naturam, ſeu iuxta exigentiam vel neceſſariæ, vel liberæ naturæ cauſæ ſecundæ, quia de mente D. Auguſtini: *Deus res, quas condidit, ſic adminiſtrat; vt proprios motus agere ſinat &c.* Dicit etiam Scotus, quòd Charitas non eſt cauſa prior mouens Spiritum Sanctum; ergo Spiritus Sãctus eſt cauſa prior mouens voluntatẽ ad eliciendum actum. Conſequentia probatur, quia Spiritus Sanctus & voluntas non ſunt cauſę mouentes ex æquo; quia in eſſentialiter ordinatis, ſicut eſt Spiritus Sanctus & voluntas: ille vt prima, hæc verò vt cauſa ſecunda, illud quod eſt poſterius in ſuo mouere depẽdet à priori; ità quòd poſterius nunquàm mouet, niſi moueatur, non eſt cauſa prior mouẽs vt patet ex Scoto, ergo remanet quòd voluntas ad hoc, vt moueat, debet priùs Spiritus Sanctus eſſe cauſa mouens illam.

Et hinc eſt, quòd Scotus in præcitata quæſt. prima ſupra lit. Hh. dicit: *Quòd cauſa ſecunda ſemper ſequitur motionem cauſæ primæ, nec poteſt moueri ad oppoſitum illius,*

lius, ad quod causa prima mouet &c. Quæ verba sunt maximè animaduertenda: primò enim notanda est illa particula, *semper*, ex quo fit esse de mente Scoti omnem causam secundam semper, idest in omni actione, quæcunquè sit illa sequi motionem causę primę; idest causam secundam nũquàm exire de facto in actum secundum, nisi præmoueatur à Deo. Secundò notandum est illud, quod dicit; scilicèt quòd stante tali præmotione primæ causę causa secunda non potest moueri ad oppositum illius, ad quod causa prima mouet: quibus verbis nõ poterat Scotus excellẽtioribus exprimere pręmotionem phisicam; præmotio enim phisica illa est, ad cuius positionem necessariò necessitate infallibilitatis ponitur effectus, idest quòd posita Diuina præmotione in causa secunda, causa secunda non potest non operari illud, ad quod præmouetur, nec potest fingi pręmotionem primę causæ in ordine ad secundam esse pręmotionem moralem. Nã hìc Scotus loquitur de generali influentia, qua omnes causæ secundæ siuè liberæ, siuè naturales præmouentur ad actionem; & si illa præmotio, qua causę naturales præmouentur, est phisica: quia vt patet, naturalis causa non potest præmoueri præmotione morali; ergo etiam præmotio, qua causę liberę pręmouentur, erit phisica, aliter vel causæ liberę non æquali dependentia dependerent à causa prima, sicuti causę secundę, vel talis pręmotio non esset eiusdem rationis in omnibus causis, quod est cõtra Scotũ: nã quãdo ipse in 4. dist. 13. q. 1. sub lit. Cc. & in eodẽ 4. dist. 14.

quæst.

quæſt.2. ſub. lit. M. videtur negare pręmotionem ſpecialem, quam pręmotionem alij vocant auxilium ſpeciale, nihil aliud intendit; niſi dicere præmotione Diuina, qua cauſæ ſecundæ pręmouentur ad ſuas actiones eſſe omninò eiuſdem rationis, & ordinis in omnibus cauſis præmotis, quantumcùmquè actiones aliquę (ad quas pręmouentur cauſæ liberæ) ſint ſupernaturales, ſeù potiùs elicitę ex habitibus ſupernaturalibus: eadẽ enim, ideſt eiuſdẽ rationis, & ordinis pręmotione pręmouetur volũtas ad operandũ, quãdo eſt ſine charitate; qua præmotione præmouetur ad operandum, quando eſt cum charitate.

Non enim eſt imaginabile, niſi à proteruo, & maledico, Scotum negaſſe auxilia ſeù gratiam præuenientẽ, cùm illa confiteatur in pluribus locis ſuæ doctrinæ; quæ loca hìc recẽſere eſſet nimis ſuperfluum, & quòd hæc ſit germana intentio Scoti, Sole limpidiùs colligitur ex Scoto in præcitato loco 1. quæſt2. diſt.17. ſub lit. Q q. vbi habet hæc verba: *Ad ſecundum dico, quòd Spiritum Sanctum cooperari igni ad calefaciendum non eſt miraculũ, cooperari autem aquæ frigidæ ad calefaciẽdum (ſi tamen ſine contradictione poſſit ſibi competere aliqua cauſalitas reſpectu calefactionis) hoc eſſet miraculum; ità dico in propoſito, quòd Spiritum Sanctum cooperari voluntati habituatæ ad actum eliciendum ſecundum illum habitum, hoc eſt de communi lege, qua Deus aſſiſtit cauſæ ſecundæ ad ſuum actum: ſed ipſum cooperari voluntati non habituatæ, eſſet miraculum; ſi tamen voluntas ipſa poſſet operari &c.* Ex quibus verbis colligitur Deum pręmo-

rali influere ad actum meritorium: immò intentio Scoti est, quòd non tantùm præmotio illa virtuosa, qua pręmouentur omnes causæ secundę ad suas operationes, & ad quam pręmotionem merè passiuè se habent, esse eiusdem rationis & ordinis in omnibus causis secundis præmotis ad quascunquè operationes, etiam meritorias; sed quòd insuper influxus ille Diuinus, quo simul cum causa secũda cooperatur ad actus meritorios, est eiusdem rationis & ordinis cum influxu, quo Deus cooperatur causæ secundę naturali, scilicet igni. Et hęc est sententia Scoti in omnibus præcitatis locis, in quibus de influentia generali loquitur; sed precipuè in primo dist. 17. quæst. 2. sub lit. Qq. vbi dicit: *Ità dico in proposito, quòd Spiritum Sanctũ cooperari voluntati habituatæ ad actum eliciendum secundũ illum habitum, hoc est de cõmuni lege, qua Deus assistit causæ secundæ ad suum actum &c.* Ex quibus verbis si expendatur illa particula, *cooperari*, certum esset; quòd Scotus per illam intelligit cooperationem & influxum simultaneũ, quòd Deus cooperatur causæ secundæ, seu voluntati habituatæ, idest informatę charitate ad actũ eliciendum, qui actus elicitus ex charitate meritorius est: & tamen hoc non obstante dicit, quòd *hoc est de communi lege*; idest talis cooperatio non est alterius rationis & ordinis ab ea cooperatione ex illa influentiá, qua Deus assistit causæ ad actum suum: idest qua Deus cooperatur causæ secundæ, seu simul cùm causa secũda ad actum suum; idest ad operationem causæ secundę.

Et clariùs id ipsum parùm

infrà ibidem replicat Scotus dicens: *Sed quia Spiritus Sāctus omni causæ secundæ generaliter cooperatur ad illum actum, ad quem secundum formam suā ordinatur &c.* Quæ verba sic debent expēdi: *Sed quia Spiritus Sanctus omni causæ secundæ*; ideſt tàm naturali, quàm liberæ (& notanter dixit Scotus vniuersaliter omni causæ secundę, nam parum suprà dixerat indefinitè; qua Deus aſſiſtit omni causæ secundæ) *generaliter*, ideſt influxu communi, & eiusdem rationis & ordinis cooperatur: ideſt simul concurrit ad illum actum cum causa secunda, ad quem actum ipsa causa secunda secundum formam suam; ideſt secundum propriam naturam, seu secundū habitum informātem illam ordinatur, scilicet à Deo pręmouente &c. En igitur quomodò Scotus affirmet non solùm præmotionem, sed etiam cooperationē Diuinā cum causis secūdis esse eiusdem rationis, & ordinis in omnibus causis.

Sed contra hoc poſſet argui, si cooperatio Diuina sit eiusdē rationis & ordinis in omnibus causis secundis; ergo omnes actiones omnium causarum secundarū sunt eiusdem rationis & ordinis. Consequens eſt falsū; ergo &c. Consequentia probatur: nam cooperatio Diuina seù influxus simultaneus, quo Deus vnà cum causa secunda operatur, nihil aliud eſt, niſi operatio ipsa secundarum causarum, vt efficiēter procedit à Deo; ergo si cooperatio Diuina eſt eiusdē rationis & ordinis in omnibus causis secundis, igitur etiam omnes actiones omnium causarum secundarū erunt eiusdem rationis & ordinis, quod eſt falsum. Primò,

mò, quia actiones causarum secũdarum differunt specie; ergo non sunt eiusdem rationis. Secundò, quia actus meritorij sunt ordinis supernaturalis, actus verò nõ meritorij sunt ordinis naturalis; ergo non omnes actiones omnium causarum secundarum sunt eiusdem rationis & ordinis.

Ista difficultas saluatur iuxta ea, quæ habet Scotus in prima quęstione Prologi sub lit. L. vbi loquitur, quomodò aliquid potest dici supernaturale; & adhibeãtur etiam ea, quæ habet Scotus in 2. dist. 3. quęst. 9. sub lit. D. & declara (si potes) quomodò, & quotupliciter aliquid dicatur esse supernaturale de mente Scoti. Pro nunc respondetur negãdo consequentiam, ad probationem dicimus: quòd datur duplex cooperatio, seù cooperatio Diuina potest dupliciter considerari vno modo actiuè, & vt sic dicimus esse eiusdem rationis & ordinis in omnibus causis secundis; quia talis cooperatio actiua non est nisi volitio Diuina, qua vult ponere aliquid in esse, & hæc cùm sit vna & omninò indistincta, vtiquè etiam est eiusdem rationis & ordinis in omnibus causis pręmotis ad operandũ: alio modo passiuè (& vt sic) dicimus esse alterius, & alterius rationis & ordinis; nam cùm cooperatio vt sic passiuè considerata nihil aliud sit, nisi ipsa operatio creaturæ, sicut creatio passiua nihil aliud est nisi ipsa creatura: sequitur, quòd diuersificatur in ratione, & ordine ad diuersitatem causarum secundarum &c.

Nota etiam ex Scoto in primo dist. 17. quęst. 1. supra lit. F f. quòd Spiritus Sãctus non mouet voluntatem no-

stram

ſtram ad actum meritorium ſpecialiter, ideſt motione ſpeciali; ſed generali & communi, ſeù motione non alterius rationis, & ordinis ab ea, qua mouet cauſas ſecūdas ad actus non meritorios, accipiendo tamē *ly* non negatiuè, non autem contrariè: nam hoc eſſet hęreticum aſſerere Deum præmouere ad actus non meritorios cōtrariè; quia eiuſmodi actus ſunt peccaminoſi.

Notandum eſt inſuper, quòd implicat contradictionem voluntatem noſtram, poſſe habere exercitium ſuæ libertatis circumſcripta pręmotione, & applicatione Diuina: nam vt suprà viſum eſt, cauſa ſecunda non poteſt exire in actum ſecundum, niſi præmoueatur à Deo; ergo nec etiam voluntas poterit exercère ſuā libertatem, niſi priùs præmoueatur à Deo ad tale exercitium. Et hoc poteſt colligi ex Scoto in primo diſt. 17. quæſt. 2. ſub lit. R r. vbi habet hæc verba: *Ad primum dico, quòd actus, qui eſt meritum, eſt in poteſtate mea ſuppoſita influētia generali &c.* Ex quibus verbis non obſcurè colligitur, Scotum velle actum meritorium eſſe in poteſtate noſtra; ſuppoſita tamen influentia, ideſt præmotione generali: vndè circumſcripta influentia generali actus non eſſet in poteſtate noſtra, igitur implicat volūtatem poſſe habere exercitium libertatis abſq; præmotione Diuina, nam habere exercitium libertatis, nihil aliud eſt, niſi voluntatem actualiter velle; ſi ergo voluntas noſtra circumſcripta influentia generali non habet in poteſtate ſua, loquendo de poteſtate propinqua, actum meritoriū, igitur nec poterit habere exercitium libertatis circumſcri-

ſrcipta influentia generali.

Id ipſum etiam colligitur ex Scoto in quęſt. 18. quodl. ſub lit. E. & parùm ſupra lit. V. vbi dicit: *Quòd Deus eſt vniuerſalis Rector, & Motor totius naturæ*. Et idem etiam poteſt colligi ex quæſt. 21. Quodl. ſub lit. D. Q & S. vide ibi &c.

Notandũ eſt etiam, quòd non ſolùm implicat voluntatem noſtram poſſe habere exercitium libertatis, ideſt poſſe exire in actum ſecundum; ſed etiam implicat voluntatem noſtram poſſe ex maiori conatu dare intẽtionem actui, ſeù voluntatẽ non poſſe habere motum intenſum in ordine, & actum circumſcripta præmotione Diuina. Et hoc poteſt colligi ex Scoto in 2. diſt. 5. quęſt. 1. ſub lit. G. vbi loquens de Angelis bonis, quomodò habuerunt maximum meritũ dicit: *Et in eis fuit motus meriti valdè intenſus pro iſta morula, qua merebantur; in tantùm fortè quòd nullus homo ſecundum communem legẽ poſſet habere ità intenſum actũ meriti, ſicut ipſi habuerunt &c.* Ex quibus verbis colligitur nullum hominem ſecũdum legem communem, ideſt ſtante ordine Diuina, poſſe habere actum meriti intenſum ex motu intenſo, ſicuti habuerunt Angeli boni; ità quòd ſi aliquis homo potens eſſet, ſeu reddi deberet potens habere ſimilẽ actum intenſum ex motu intẽſo: oporteret, quòd Deus potentia abſoluta conſtitueret aliam legem, qua determinaret dare eundem motum intenſum, ſicuti habuerunt Angeli pro illa morula; igitur volũtas noſta de mẽte Scoti non ſolùm dependet à Deo quò ad exercitiũ libertatis, ſed etiam quò ad quemcumquè alium motũ,

quem

quem potest habere.

Hinc ex prædictis omnibus non obscurè colligitur voluntatem nostram in omni sua actione, in omni motu, & conatu dependere à Deo; ità quòd semper Deus antecedenter se habet, & nisi Deus antecedenter se haberet, vtiquè implicaret voluntatem nostram posse habere de facto actionem aliquam, aliquem motum, siuè conatum. Hinc fit, quòd causales istæ, quia Deus vult nos velle, voluntas nostra vult; & quia Deus cooperatur, liberum arbitrium cooperatur, veræ sunt, & oppositæ falsæ: quare siuè vndè fit, quòd voluntas nostra operatur, rectè respõdetur; quia vult operari ad hoc, vt ostendatur libera facultas voluntatis. Sed iterùm quæratur, quare voluntas nostra vult operari? Hoc nõ debet refundi, nisi in voluntatem Diuinam vt in primã radicem cuiuscunquè determinationis, refunditur etiam in voluntatem ipsam, vt in causam proximam determinantem seipsam.

Sed notandum est hìc, quòd iustificatio peccatoris fit in instanti temporis, in quo instanti intelliguntur multa ordinata secundum ordinem naturæ. In primo enim signo Deus præmouet peccatorem illuminando, & illustrando eius intellectum, proponendo illi conueniens obiectum; in secundo signo excitat eius stupentem volũtatem ostendendo sibi idem conueniens obiectum, quo voluntas suadetur, allicitur, inuitatur & quodammodò attrahitur: in tertio signo Deus infũdit gratiã adiuuãtem, qua liberum arbitrium adiuuatur, vt consentiat vocationi & gratię excitãti. In quarto signo Deus sua gratia

tia

tia operatur, & liberum arbitrium adiutum cooperatur gratiæ Dei, & tunc quasi in quinto signo liberum arbitrium elicit actum meritorium vitæ ęternę; & dicitur tunc peccator iustificatus, hæc omnia fiunt in eodem instanti temporis. Et hinc patet, quomodò Deus semper antecedenter se habet ad liberum arbitrium nostrũ: & hæc est expressa sententia Scoti in pluribus locis, sed præcipuè in primo dist. 8. quæst. 5. sub lit. B b. vbi hæc habet verba inter alia, scilicet: *Similiter nulla causa secunda causat, nisi prima causa causante causatũ eius, & hoc priùs naturaliter quàm ipsa causa proxima causet &c.* Ex quibus verbis clarissimè colligitur, causam primam semper antecedere causam secundam non solùm in hoc; quòd secunda non potest agere, nisi moueatur à prima; sed etiam antecedere illam in ordine ad causatum: idest quòd etiam prima causa antecedit causam secundam in ipsa actuali actione, quæ præcedentia non debet sic intelligi; quasi verò in vno istanti naturæ causet prima causa operationem causæ secũdę, & in alio instãti naturę causet causa secunda; quia tunc sequerentur omnia illa inconuenientia, quæ affert Scotus in 2. dist. 37. sub lit. M. sed debet intelligi eo pacto, quo Scotus declarat illam in primo dist. 17. quęst. 2. sub lit. Qq. vbi habet hæc verba: *Cùm igitur dicis, quòd priùs operatur Spiritus Sanctus, quàm voluntas habeat charitatem, falsum est; nisi intelligatur de prioritate eminentiæ, sicut causa superior: simul quippè cooperatur Spiritus Sanctus voluntati habenti charitatem, & ipsa operatur*

 &c.

&c. Quibus verbis docet, Spiritum Sanctum non operari in vno instanti, & voluntatem in alio, sed prorsùs simul in eodem signo: sed hoc non obstante, adhuc Spiritus Sanctus operatur priùs quàm voluntas, loquendo de prioritate eminentiæ, seu independentię; quia Spiritus Sanctus à se, voluntas verò ab alio depẽdenter operatur: sicuti Pater à se, Filius verò ab alio pręexigitiuè spirat Spiritum Sanctum.

Hinc est, quòd dicunt instantia alia esse in quo, alia verò à quo; vndè falsum est dicere, quòd detur aliquod instans, in quo operetur Deus & non operetur voluntas; sed verum est dicere dari instans à quo, seù verum est dicere Deum priùs operari quàm voluntas; sed *ly* priùs non denotat nisi instans à quo, idest independentiam primæ causę in operando, & dependẽtiam secundæ in operando à prima. Quem ordinem alij vocant ordinem causalitatis, idest quòd ideò causa secunda operatur; quia causa prima operatur, & non econtrà: & hoc est, quòd dicit Scotus in omnibus locis præcitatis, in quibus affirmat causam secundã etiam in quantùm causat, dependere à prima.

Et quòd consensus, quo liberum arbitrium consentit gratiæ excitanti, dependet etiam à Deo, idest quòd etiã Deus antecedẽter se habeat ad liberum consensum nostrum vocationi; ità quòd de facto nunquàm liberum arbitrium consentiret vocationi, nisi præmoueretur & iuuaretur à Deo, potest colligi ex Scoto in primo dist. 41. q. vnica parùm supra lit. A. §. *Sed contra &c.* vbi verba

ba hæc habet: *Quia Deus non præuidet iſtum benè vſurum libero arbitrio, niſi quia vult, vel præordinat iſtum benè vſurum eo &c.* Et in eodem loco parùm ſupra lit. A vbi dicit: *Deus volens huic aliquid iſtius ordinis, primò vult, huic creaturæ beatificabili finẽ; & quaſi poſteriùs vult ſibi alia, quæ ſunt in ordine illorũ, quæ pertinent ad illum: ſed gratia, fides, merita, & bonus vſus liberi arbitrij, omnia ad iſtum finem ſunt ordinata etc.* In quibus locis non obſcurè docet bonũ vſum liberi arbitrij eſſe præordinatum, & volitũ à Deo ab æterno; ergo etiam talis vſus, qui nihil aliud eſt principaliter, niſi liber conſenſus vocationi, in tẽpore præmouetur à Deo. Conſequentia patet ex ſuperiùs dictis, quibus abundè probatum eſt nullam causã ſecundam poſſe de facto exire in actum ſecundum; niſi Deo priùs præmouente, & applicante.

Hinc neceſſariò colligitur Deum phiſicè mouere noſtram voluntatem ad operãdum, & non ſolùm moraliter; quia ex eo quòd prædeterminati, & prędefiniti ſunt omnes actus noſtræ voluntatis à Deo ab ęterno, neceſſũ eſt vt phiſicè, ideſt realiter & variè efficiẽter volũtas noſtra in tẽpore præmoueatur à Deo ad exercitiũ illorum actuum, aliter de facto poſſet ſtare oppoſitum illius, quod ipſe propoſuit, quod eſt falſum. Probatur etiam, quia ſi cauſa ſecunda ideò cauſat, quia mouetur à Deo; ergo phiſicè mouetur. Conſequẽtia probatur ex oppoſito conſequentis, ideſt eo quòd phiſicè moueretur, ergo non cauſaret in quantùm mota: Conſequentia patet, quia cùm motione non phiſica poteſt ſtare

quòd causa secunda nō moueat.

PROPOS. XXVIII.

De Subordinatione causarum.

Notandum est, quòd causarū subordinatarum in essendo, & in operando; alia est prima, & alia est secunda, & vtraquè potest cōsiderari dupliciter: vno modo fundamentaliter, alio modo formaliter. Causa prima loquendo de causa, ergo prima fundamentaliter sumpta nihil aliud est, nisi voluntas Diuina, qua tanquā principio formali quo tres personę producunt omnia ad extrà: causa prima formaliter sumpta dicit duplicem respectum & habitudinem; ex eo enim quòd est prima, dicit respectum & ordinem ad causam secūdam, quam mouet & applicat ad operandum; ex eo autem quòd est causa, dicit respectum & habitudinem ad effectum, seu operationem, quam producit simul cum causa secunda. Causa autem secunda fundamētaliter sūpta nihil aliud est, nisi principium formale & vis causatiua eius, mediante qua potens est producere operationem suam: Causa secunda formaliter sumpta dicit etiā duplicem respectum & habitudinem, ex eo enim quòd est secunda, dicit respectum & ordinem ad causam primam, à qua mouetur, & applicatur ad operandum; ex eo autem quòd est causa, dicit respectum & habitudinē, & effectum seu operationē, quam à Deo mota & adiuta producit simul cum Deo.

Sed notandum est, quòd in causa prima priùs intelligitur esse habitudo motio-

nis

nis actiuæ ad causam secundam, quam habitudo causationis actiuæ ad effectũ producendum cum causa secũda; & ratio euidens est, quia cùm causa secunda non potest cooperari causæ primæ ad effectum communem, nisi priùs præmoueatur, & reddatur potens proximè operari. Igitur necessum est, quòd priùs in causa prima præintelligatur esse habitudo motionis actiuæ ad causam secundam, quàm causationis actiuę ad effectum cõmunem: confirmatur etiam, quia causa prima de lege cõmuni non cooperatur ad effectum causæ secundę causa secunda non cooperante, & causa secunda non potest cooperari nisi à prima præmota sit ad influendum; ergo necessariò habitudo motionis actiuæ debet priùs intelligi esse in causa prima ad causam secundamquàm habitudo eiusdem primæ causæ ad effectum producendũ simul cum causa secunda. Similiter etiam ex consequenti priùs intelligitur esse in causa secunda habitudo motionis passiuæ ad causam primam, quã habitudo causationis actiuæ ad effectum producẽdum simul cũ Deo, & ratio est iam assignata, quia causa secunda non potest cooperari ipsi Deo ad effectum communem vtriq; nisi præmoueatur à Deo.

Ex hoc infertur, quòd si causa prima, & causa secunda considerãtur secundũ habitudines motionis actiuę & passiuæ, quas dicunt adinuicem: tunc verum est dicere, quòd causa prima priùs inchoat effectum communem vtriq;, quia causa secunda ad hoc vt actualiter opponetur debet priùs naturaliter præmoueri ad operãdum à causa prima; ergo ex eo quòd

prima

prima causa priùs naturaliter mouet secūdam ad operandum, quàm ipsa causa secunda actualiter operetur ad effectum communem vtriq; dicitur priùs inchoare effectum communem vtriquè: Si verò causa prima & causa secunda considerentur secūdum habitudinem causationum actiuarum, quas dicunt ad effectum communem vtriquè, tunc falsum est dicere, quòd causa prima priùs inchoat effectum communem, quàm causa secunda; quia licèt diuersis causationibus, quia aliud & aliud principium formale habent, & totalibus causent effectum: tamen simul & semel in eodem prorsùs signo causant, alitèr si Deus adhuc priùs causaret, seù influeret in effectum quàm causa secunda, tunc consideremus cū opinione Lutheri, qui dicebat Deum priùs naturaliter influere in libero arbitrio, & operationem liberi arbitrij; quæcunq; esset illa siuè bona, siuè mala, & consequenter dicebat liberum arbitriū merè passiuè se habere non solùm in ordine ad præmotionem Diuinam, sed etiam ad influxum liberi arbitrij in suam operationem: & sic dicebat liberum arbitrium esse tāquàm inanime quoddam, & consequenter inferebat Deum esse Auctorem boni & mali, quod est blasphemia.

Posset tamen dici considerando causam primam, & secundam etiam in ordine ad effectum communem, quòd causa prima priùs inchoet effectum communē, quàm causa secunda: sed nō alia prioritate, nisi prioritate independentię & eminētiæ, idest ex eo quòd causa prima ex se cooperatur, & influit in effectum commu-

nem

nem, causa verò secunda dependet à causa prima; vndè fit, quòd causalis ista vera sit, quia Deus influit in effectū, causa secunda influit, & opposita falsa: ideò causa prima dicitur priùs inchoare effectum communem, quā causa secūda, & ex eo quòd causa prima eminētiori modo influit in effectum, quàm causa secunda; quod effectū dicat essentialiorem ordinē ad primam causam, quàm ad secundam, vide Scotum in 2. dist. 2. q. 4. sub lit. E. ex quo fit, quòd effectus dicat essentialiorem ordinem ad primam causam, quàm ad secundam: ideò etiam potest dici, quòd causa prima priùs inchoet effectum communem, quàm causa secunda; sed cum hoc stat, quòd simul & semel, & in eodem prorsùs signo influat prima, & influat secunda in effectum communem.

PROPOS. XXIX.

Respondetur ad argumenta.

His omnibus prænotatis, respondetur nunc ad omnes obiectiones, quæ possent occurrere cōtra omnia prędicta notabilia; & primò respondetur ad illa argumenta, quæ Scotus affert in 2. dist. 37. supra & sub lit. M. ad probandum voluntatem creatam esse totalem, & immediatā causam sui velle, quæ argumenta ipse nō soluit.

Et primò ad illud, quod dicit, quòd nulla potentia habet perfectè in potestate sua effectum suum, qui non potest ab ea causari immediatè, nec ab aliqua causa; cuius causatio non est in potestate illius potentiæ. Res-

pon-

pődetur primò negãdo simpliciter id, quod supponit ista propositio, scilicet voluntatem non causare immediatè suum velle; quia vt suprà dictum est, quantùmcunquè Deus totaliter causet nostram volitionem independenter & eminentiùs, tamen hoc non obstante voluntas nostra etiam est totalis causa suæ volitionis, & eam causat immediatè in eo signo, in quo causat Deus: vndè formaliter respondeo si per hoc, quòd Deus causat nostram volitionem intelligi voluntatem nostram non causare immediatè; idest in eo signo in quo causat Deus volitionem nostrã. Negatur id, quòd supponit: si autem intelligit non causare immediatè, idest independenter, & sic conceditur; quia vt suprà diximus, omnis causa secunda non solùm in essendo, sed etiam in operando depẽdet à Deo, ità quòd implicat aliquam causam secundam actualiter operari Deo priùs non præmouente illam ad operandum.

Hinc est, quòd si fieret hoc argumentum: voluntas creata non potest immediatè causare suum velle, si non est causa totalis illius; ergo voluntas non habet perfectè in potestate sua suum velle. Potest distingui cõsequens: voluntas non habet perfectè in potestate sua suum velle, quasi verò merè passiuè se habet respectu illius; & negatur consequẽtia, quia quantùmcumquè causa superior præmoueat phisicè voluntatem ad operandum, & sic etiam totalis causa suę volitionis: adhuc etiam illa se ex suo intrinseco & libero principio determinat ad operandum, & cooperatur actiuè influendo in suã

voli-

volitionem; voluntas autem non habet perfectè in sua potestate suum velle, ex eo quia dependenter à prima causa se determinat, operatur, & cooperatur ad suum velle, & nimis principaliter. Conceditur consequentia, quia vt dicit Scotus in primo dist. 39. sub lit. Z. *Omne positiuum, quòd est in effectu principalius, est à causa priore &c.*

Ad illud, quod dicit; quòd omne quod determinatur ad aliquid ab alio, non habet perfectè in sua potestate illud: sed voluntas nostra est huiusmodi; ergo &c. Respōdeo distinguēdo maiorem, scilicet nō habet perfectè in sua potestate illud, ad quod ab alio determinatur, si non iuxta conditionē & inexigentiam suæ naturæ determinatur, & vera est maior; secus autem si iuxta conditionem & exigentiam suę proprię naturæ determinetur, sicuti à Deo determinantur omnes causę secūdæ, & pręcipuè causæ liberæ, ergo &c.

Ad illud, quod dicit nostrum velle non esse contingens, ex eo quòd voluntas nostra necessariò sequitur determinationem causæ superioris; respondeo, quòd est contingens, quia semper remanet tùm ex parte causę, tùm ex parte effectus indeterminatio de possibili, quæ indeterminatio saluat rationem formalem contingētiæ, & licèt voluntas necessariò sequatur determinationem causę superioris, talis necessitas non est, nisi necessitas infallibilitatis & immutabilitatis, cum qua stat potentia ad oppositum: non autem est necessitas ineuitabilitatis, quæ excludit actum & potentiam successionis oppositi.

Ad illud, quod dicit; quòd si Deus esset causa immediata volitionis, ergo esset causa prior nostra volũtate; ergo priùs naturaliter influeret in effectum, quàm nostra voluntas, & consequenter volũtas nostra merè passiuè se haberet respectu volitionis, & sic non posset mereri, nec demereri. Respondeo distinguẽdo primum consequens, esset causa prior, idest mouens non mota independens & principalior; & vera est consequentia, esset causa prior: quasi verò Deus priùs naturaliter influeret in effectũ, quàm nostra voluntas, & falsa est consequentia: nam quantumcùnquè voluntas nostra sit causa mouẽs mota dependens & minùs principalis; tamen non obstante influit in effectum in eo, puto in quo influit Deus: & cum hoc stat, quòd Deus influat à se, voluntas verò ab alio; vndè causalis hæc vera est, & opposita falsa; quia Deus influit, ideò voluntas influit. Hac distinctione data primo consequẽti, tunc negantur omnes aliæ consequentiæ. Hæc responsio colligitur ex Scoto in 2. dist. 37. sub lit. V. & in primo dist. 17. q. 2. sub lit. Q q.

Ad illud, quod dicit; quòd si Deus esset causa volitionis tunc erit causa totalis, ergo voluntas nihil causaret, quia cum totali causa alicuius nihil aliud potest causare, cũ illa totali causa in eodem genere causæ respectu eiusdem effectus. Respondeo concedendo Deum esse totalem causam nostræ volitionis, & negando consequentiam, ad probationem dicitur; quòd licèt Deus & voluntas creata respectu volitionis dicantur esse duæ

cau-

causæ totales in eodẽ genere suæ causæ: tamen implicat volũtatem nostram respectu suę volitionis esse causam totalem, quantùmcunquè volitio totaliter etiam producatur à Deo in eodem genere, & ratio est; quia circumscripta voluntate nostra volitio non haberet, nec posset habere esse à Deo: nã cùm volitio sit actus vitalis, dependet à nostra voluntate non solùm in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causę formalis, & cõsequenter ipsa volitio nullo pacto potest produci à Deo sine voluntate, nec etiam circumscripto influxu Diuino volitio nostra haberet, & posset habere esse à voluntate nostra; quia vt suprà dictum est, cùm voluntas & omnis causa secunda depẽdeat à prima in operando, nullo pacto potest operari circumscripto influxu, seu præmotione Diuina: sequitur ergo, quòd non implicat, immò est necessarium, quòd voluntas etiam influat in volitionem suam quantùmcunquè in illam influat Deus; implicaret tamen si volitio sufficienter posset habere esse circumscripta vel voluntate, vel influxu Diuino: & hoc est, quod probat Scotus in pluribus locis, sed præcipuè in primo dist. 2.quęst.3.sub lit. B.& in 3. dist. 1.quęst.2.sub lit.A.

Ad illud, quod dicit, quòd voluntati non repugnat esse totalem causam suæ volitionis, ergo potest esse causa totalis suæ volitionis, sicuti etiam si esset subiectum, & per impossibile circumscriberetur omne aliud, quod non est ipsum, adhuc causaret suam propriam passionem, & hoc totaliter, ergo sic etiam voluntas. Respõdeo distinguendo antecedens,

dens, non repugnat voluntati esse causam totalem respectu suę volitionis; idest independentem à quocunquè alio, quod non est ipsa: & falsum est antecedens, nam probatum est omnem causã secundã essendo, & operãdo dependere à prima, nõ repugnat voluntati esse causam totalem in genere suo, seu in ordine suo causandi; cùm hoc tamen dependenter ab alio, & verum est antecedẽs. Consequẽs transeat eadem distinctione, ad casum positũ respondetur; quòd casus est impossibilis, etiã dato quòd esset subiectum, circumscriberetur ab eo omne aliud, quòd non est ipsum, adhuc nõ posset causare suam propriam passionem, nisi simul cum ipso influeret Deus ad causandum illam.

Auctoritates sacrę Scripturæ, & SS. Patrum, quas ibi affert Scotus, superiùs dictum est, quomodò sint intelligendæ.

Ad illud, quod dicitur præmotionem actualẽ Dei, & influxum in causas secundas superfluere: nam cùm præsupponatur in illis quidquid ad agendum est necessarium ex parte actus primi, non est cur indigeant illo præuio influxu, quò ad agẽdum iuuentur, inclinentur, & confortentur. Respondetur negando præuium Diuinum influxum in causas secundas superfluere; immò dicimus eò esse simpliciter necessariũ, vt implicet causas secundas de facto imperari circumscripto Diuino influxu: ad probationem dicimus, quòd verum est omnes causas secundas sufficiẽtissimè cõstitutas esse à Deo in actu primo, quo possunt simpliciter operari; sed tamen hoc non obstante causę secundæ non habent, vndè

de

de facto exeant in actum secundum, nisi dependenter ab influxu Diuino, quia non solùm in essendo, sed etiam in operando dependet à prima causa: recipiunt ergo causæ secundæ à causa prima præuium Diuinum influxum, qui non est aliquid actus primi illarum; sed est quasi complementum actus primi earum, quo reducuntur ad operandum de potētia remota ad potentiā propinquam, idest quo influxu fit, vt causę secundę premotæ applicentur ad actualiter operandum. Vndè circumscripto præuio Dei influxu nunquā, quia implicat; causæ secundæ possunt se actualiter applicari ad operandum, quantùmcunquè sint sufficientissimè constitutæ in actu primo per formam permanentem illarum, & consequenter concursus Dei simultaneus non sufficit.

Ad illud, quod dicitur solùm instrumenta artis indigere, vt præuia motione moueantur, & applicentur à superiori agente ad operādum; quia instrumentum de se, & virtute propriæ formæ non habet vim ad producendum effectum principalis agētis: non autem causas secundas; quia ipsæ in virtute propriæ formæ habent vim producēdi effectum. Respondetur, quòd vt patet ex Scoto in 4. dist. 1. q. 1. sub lit. Dd. & in eodem 4. dist. 1. q. 5. sub lit. F. Omnis causa secunda cōsiderata in ordine ad primā causam dicitur instrumentū; & consequenter ad hoc vt actualiter operetur, indiget præmotione superioris causę, quod satis apertè dicit Scotus in primo præcitato loco 4. vbi habet: *Alio modo potest intelligi agere principaliter, idest per formam propriā & intrinsecam agenti; licèt*

in agendo per eam sit ordinata causæ superiori agenti, si contra causam principalem primo modo dictam distinguatur instrumentum, sic omnis causa secunda potest dici instrumentalis &c. Ex quibus verbis duo colliguntur: primum, quòd omnis causa secunda in ordine ad primam dicitur instrumentum; & secundum quòd omnis causa secunda quantùmcunq; habeat propriam, intrinsecam & permanentem formam operandi, hoc tamen non obstante adhuc in agendo, idest in actuali operatione subordinatur eo pacto superiori agenti; quòd nunquàm actualiter operaretur, nisi præmoueretur ad operandum ab illo. De mente autem Scoti, vt potest colligi ex præcitatis locis, est quòd instrumentũ non solùm recipit à superiori agente actualem motionem, sed etiam formã actiuam, qua redditur potens simpliciter operari: causa autem secunda solùm recipit præmotionem ad operandũ; quia formam actiuam, idest actum primum sufficientissimè recepit à Deo in principio suæ productionis.

Ad illud, quod dicitur causas naturales esse determinatas ad vnum; ergo saltem illæ non indigent præuia Dei motione ad operandum. Respondetur verũ esse naturales causas esse determinatas ad vnum in ratione actus primi, quo possunt simpliciter operari; non autem esse determinatas ad vnum, ita vt operentur de facto circumscripta premotione Diuina, ergo etiam illę indigent, vt operentur de facto, præmotione Diuina.

Ad illud, quod dicitur nõ esse imputãdum ad culpam voluntati, si non operetur meritoriè; ex eo quòd quando

do voluntas actu non operatur, non habet præuium illum Dei influxum, qui & ſimpliciter neceſſarius ad operationem. Reſpondetur voluntatem noſtram antecedenter ad præuium Diuinum influxum habere formam, & ſufficientem actum primum, quo poteſt operari; vndè non indiget prȩuio influxu, vt poſſit operari: ſed indiget, vt operetur de facto, quando dicitur non eſſe imputandum &c. Negatur, ad probationem conceditur influxum illum nō eſſe in poteſtate voluntatis: cũ talis influxus præuius ſit ſolùm à Deo effectiuè, ſed tamen ſuppoſita illa motione terminus illius motionis eſt in noſtra libera facultate; videlicet operatio libera, ad quam datur illa præmotio, ità quòd eſt in facultate noſtræ voluntatis ſeipſam impedire, nè operetur conformiter ad illam præmotionẽ, & hoc ſufficit, vt imputetur voluntati ad culpam, ſi non meritoriè operetur. Hæc reſponſio colligitur ex Scoto in 2. diſt. 28. quæſt. vnica ſub lit. B. vbi habet: *Ità quòd non poteſt eſſe ſemper omiſſio actus huius præcepti ſine peccato mortali, quandocùnq; autem voluntas actũ huius præcepti exequitur; licèt informis, & diſponit ſe de congruo ad gratiam gratificantem, cui oblatæ vel reſiſtet, & peccabit mortaliter; vel conſentiet, & iuſtificabitur &c.* Et parùm infrà reſpondendo ad ſecundum principale, dicit: *Ad minorem, poteſt dici; quòd iſte, cui offertur gratia, poteſt cauere, nè reſiſtat gratiæ &c.* Ex quibus verbis non obſcurè colligitur voluntatem noſtrã poſſe reſpuere gratiam gratificantem oblatam, & conſequenter peccare.

Sed contra hoc eſt dubiũ

non parui momenti, quod eiusmodi est; scilicet si voluntas potest resistere gratiæ gratificanti oblatæ, & non agere conformiter ad præmotionem Diuinam; ergo gratia non est efficax antecedenter ad consensum liberi arbitrij, quod est contra prædeterminata: secundò sequitur, quòd voluntas poterit moueri ad aliud, ad quod non præmouetur à Deo; nã si Deus præmoueat voluntem ad consentiendum vocationi, & ipsa dissentiat, nonnè mouebitur ad aliud ab illo, ad quod præmouetur à Deo.

Huic difficultati respondetur, saluo tamen meliori iudicio, negãdo consequentiam; & ratio negationis est, quòd licèt gratia sit efficax antecedenter ad consensum liberi arbitrij: tamen gratia nunquàm dicitur sortiri effectum suæ efficaciæ absquè consensu liberi arbitrij, vndè licèt efficacia gratiæ sit independens ab omni alio ab ipso Deo; tamen quò ad effectum suæ efficaciæ, seù quò ad executionem suæ efficaciæ dicitur quodammodò dependere à consensu liberi arbitrij. Negatur etiam illud, quòd secundò infertur: ad probationem respondeo, quòd volũtatem moueri ad aliquid, ad quod non est à Deo præmota, potest considerari dupliciter vel efficiendo, vel deficiendo; primo modo est impossibile, quòd voluntas moueatur ad aliquid, ad quod præmouetur à Deo: & ratio est (vt dictum est suprà) quia omne positiuum, quod est in effectu, principalius est à causa priore; ergo voluntas in efficiendo dependet à causa superiori, & consequenter est impossibile, quòd positiuè efficiendo moueatur ad ali-

aliquid, ad quod non præmouetur à Deo. Sed secundo modo possibile est, & de facto accidit (vtinam nunquàm accideret) quòd volũtas mouetur ad aliquid, ad quod mouetur à Deo, & ratio est, vt dicit Scotus in 2. dist. 37. sub lit. T. *Quòd cùm ad velle voluntatis creatæ cõcurrant duæ voluntates, scilicet voluntas creata et Diuina, potest esse defectus in ipso velle ex defectu alterius causæ, & hoc quia ista causa posset rectitudinem dare actui, quam tenetur dare, & tamen non dat &c.* Hinc potest colligi voluntatem nostram in efficiendo esse subordinatam causæ superiori, in deficiẽdo verò esse causã supremã, & nulli subordinatam, nisi suæ liberæ facultati.

Sed quis posset dicere, quòd non tantùm voluntas mouetur ad aliquid, ad quod non præmouetur à Deo negatiuè, idest deficiendo ab illo, quod pręmouetur à Deo: sed etiam contrariè, sicuti accidit in peccatis commissionis; ergo voluntas potest etiam efficere aliquid, ad quod non præmouetur a Deo.

Respõdeo, quòd volũtas vel omittet operari id, quòd tenetur operari; & sic peccat peccato omissionis deficiendo non solùm à rectitudine debita inesse actui, sed etiam deficiendo ab ipsomet actu: vel operatur aliquid adhibendo actui circumstantias indebitas, sic peccat peccato commissionis operãdo aliquid; cui tamen non adhibet propriã rectitudinem, & sic deficit ab alio, quod tenetur: ex quo patet, quòd voluntas mouendo se ad aliquid, ad quod non præmouetur à Deo, nunquàm se mouet efficiendo, sed semper deficiendo vel negatiuè,

vel contrariè.

Ad illud, quod dicitur; quòd ex tali præuio influxu in voluntatem tollitur libertas eius, ex eo quòd posito eiusmodi influxu voluntas non potest non operari actũ illum, ad quem præmouetur. Respondeo, quòd (vt suprà visum est) per efficaciã pręoperantis gratiæ non destruitur, immò potiùs roboratur & perficitur nostri arbitrij libertas; ex eo quòd voluntas præmouetur ad operandum iuxta conditionẽ & exigentiam suæ liberę naturæ, vndè voluntas remanet libera in actu primo, quia quantùmcunquè prædeterminetur à Deo ad vnũ: tamẽ ità operatur illud vnũ, quòd potest operari eius oppositum, si velit; remanet etiam libera in actu secundo seù in exercitio à Deo ad alterum extremum, etiam ipsa vt causa proxima se determinat, & præmouet ad operandum. Respondeo nunc ad formam negando quòd ex pręuio influxu tollatur libertas, & quãdo dicitur, quòd stante tali influxu, voluntas non potest non operari: verum est in sensu composito, sed falsum in sensu diuiso, quantùmcunquè enim voluntas prædeterminetur ad vnum; ità quòd ex tali prædeterminatione infallibiliter operetur illud, ad quod prædeterminatur, semper tamen in sua libera facultate vt possit non operari &c.

Ad illud, quod dicitur pręuium illum influxum debere esse indifferentem ex eo, quòd eiusmodi modus influendi possibilis est primæ causæ, cùm in illo nulla possit excogitari repugnantia, quod confirmatur; quia Sol etiam eodem indifferenti modo concurrit cum causis secundis, quæ ab alio depen-

pen-

pendet. Respondeo modum illum operandi & concurrẽdi concursu, qui secundum se sit indifferens, non esse Deo posſibilem; quia (vt suprà dictum est) videtur valdè repugnare perfectioni suæ prouidentię & causalitatis: ad confirmationem de Sole respondeo, quòd Sol cùm sit finitus & limitatus & consequenter in essendo & in operando includẽs aliquid potentialitatis, potest per concursum alterius causæ determinari ad producendum talem, vel talem effectum in indiuiduo; Deus autem est causa infinitè perfecta & purus actus in essẽdo, & operando nullam admittens potentialitatem, ergo eius voluntas vel concursus, in quo concursu est intentio voluntatis & virtutis Diuinæ, non potest determinari ad operãdum ex concursu causæ secundæ.

Ad omnes auctoritates sacrę Scripturę, Sacrorum Conciliorum, SS. Patrum ac Scholasticorum, quibus probari videtur Deum suo æterno & absoluto decreto non prędeterminasse omnes causas secundas tàm liberas, quàm naturales ad suas operationes; exponatur Deum non ità prędeterminasse pręsertim causas liberas, quòd ex neceſſitate naturali & absoluta sint ad vnum prædeterminatæ, sed solùm neceſſitate infallibilitatis & immutabilitatis, cum qua composſibilis est libera facultas voluntatis nostræ, & licèt eiusmodi Diuinum decretum in intentione antecedat nos sine nobis, seu actum liberum nostrę voluntatis; tamen in executione non antecedit actum liberum nostrę voluntatis sine nobis liberè cooperantibus, & cõproducentibus illum.

Ad illud, quod dicitur Lutherum & Caluinum affirmasse volũtatem nostram phisicè operari: sed cùm hoc dixerunt, quòd voluntas nostra phisica quadam efficacitate prędeterminatur à Deo, vt velit, & hoc per efficacissimã suam voluntatem pręuenienientem nostram; ergo nos affirmando voluntatem nostram phisicè prędeterminari à Deo, coincidimus cũ opinione Lutheri & Caluini. Respondeo Lutherum & Caluinum non errasse, ex eo quòd affirmàrunt voluntatem nostram phisicè prædeterminari à Deo per efficacissimam eius voluntatem præuenientem liberum arbitrium nostrum: sed errasse solùm, quia ex eiusmodi principio Catholico; scilicèt datur voluntas, seu gratia Dei efficax præueniens nostram volũtatem, & præmouens illam ad operandũ, non intelligentes qualiter cum efficaci voluntate & gratia Dei staret simul nostri arbitrij libertas: intulère hoc hæreticum consequens, scilicet ergo voluntas nostra non esset libera in suis operationibus, ad quas dixerunt insuper voluntatem nostram merè passiuè se habere; & consequenter fecère Deum nõ minùs Auctorem proditionis Iudę, quàm vocationis Pauli: nam asserebant liberum nostrum arbitrium esse figmentum & rem de solo titulo, immò titulum sine re; arguebant enim, sed falsissimè, tali pacto est in Deo voluntas efficax & gratia præueniens nostram voluntatem, qua facit vt faciamus, & operatur vt operemur, ergo nõ est in nobis liberũ arbitriũ. Pelagius autẽ ex opposito diametraliter nimis extollendo liberum arbitrium negauit omnem effica-

ficaciam voluntatis & gratię Dei, vndè sic arguebat: est in nobis vera arbitrij libertas; ergo non est in Deo voluntas èfficax, & gtatia præueniens nostras voluntates, qua facit vt faciamus, & operatur vt operemur. Nos autem extremas & impias hæreses Pelagianorum ac Lutheranorum detestantes media via rectè incedentes fatemur contra Pelegianos Deum æterno, absoluto atq; efficaci decreto suæ voluntatis, ac sua præoperante gratia nostras præuenire voluntates, easq; ad modũ causæ phisicę ad omne opus bonum dirigere; salua tamen illa libertate, asserimus etiam contra Caluinum & Lutherum, quòd nihil impediente efficacia voluntatis & motionis Diuinæ manet in homine integra libertas arbitrij, videlicet facultas & potestas, qua possit (si velit) non sequi motionem Diuinam. Ad formam argumenti nunc respondeo, quòd licèt nos in antecedẽte Catholico conueniamus cũ hæreticis, immò cum veritate; hoc tamen non obstante discordamus ab illis in consequente hæretico, quod ex mala & deprauata intelligentia malè inferebãt ex antecedente Catholico.

Ad illud, quod dicitur, quòd si ad hoc vt voluntas operetur de facto, oportet vt præmoueatur à Deo; ergo non liberè omittuntur à nobis actus illi, qui sunt in præcepto, quia non potest volũtas operari nisi illud, ad quod est prædeterminata, & præmouetur à Deo. Respondeo, quòd verum est esse impossibile (vt dictum est suprà) posse nostram voluntatem operari aliquid, ad quod non sit à Deo prædeterminata ab æterno & in

tempore præmota; ergo illi actus, ad quos voluntas non est prædeterminata, & non præmouetur à Deo, non dicuntur omitti à nobis nec liberè, nequè necessariò: tamen potest voluntas deficiendo omittere actus illos, ad quos præmouetur à Deo, vt dictum est suprà; & licèt omittat actus illos ex eo, quòd non efficaciter pręmouetur à Deo, tamen quia ex sua libera facultate, & ex sufficienti auxilio habet, vt possit non omittere. Hinc est, quòd liberè dicitur omittere, & cõsequẽter omissio imputatur sibi ad peccatum; quantùmcunquè omissio infallibiliter sequatur ex eo, quòd voluntas non efficaciter præmouetur à Deo: tamen quia volũtas habens auxilium sufficiens, quo constituitur in actu primo potens operari ex sua libera facultate omittit actus illos, ad quos saltem voluntate antecedenti pręmouetur à Deo; ideò omissio imputabatur sibi ad peccatũ mortale: si verò quæratur, vndè est, quòd Deus efficaciter præmouit Paulum, & non efficaciter Iudam? Respondeo, quòd non præmouere, seù non pręordinatio ad gloriã & gratiam in ordine ad Iudam, est causa quare in tempore Iudas non præmouetur efficaciter ad operandum actus illos, quos Deus vult voluntate signi, vt ab omnibus exerceantur: Si verò iterùm quæratur, quare Deus non præordinauit Iudam ad gloriam & gratiam? Respondeo, nullam esse assignandam nec posse assignari, nisi ità Pater; quia sic placitum fuit antececedenter, recurrendum est igitur ad voluntatem Diuinam.

Hìc tamẽ est notandum, quòd

quòd præmotio in tempore ſit proportionabiliter prędeterminationi & decreto æterno, ex quo fit; quòd voluntas ad illos tantùm actus præmouetur in tempore, ad quos eſt prædeterminata ab æterno: vndè non dicitur omittere actus illos, ad quos non præmouetur in tempore; quia nec ab æterno eſt prædeterminata ad illos, nec actus illi cognoſcuntur à Deo, niſi vt poſſibiles antecedenter ad decretum Diuinum.

Ad illud, quod dicitur; quòd voluntas noſtra poteſt facere aliquid, ad quod non præmoueatur à Deo, ergo non eſt in poteſtate noſtra facere aliquid. Reſpondeo, quòd antecedens verum eſt in ſenſu compoſito, non autem in ſenſu diuiſo: nam licèt ſit impoſſibile, quòd noſtra voluntas operetur de facto circumſcripta pręmotione Diuina, tamen ſemper voluntas remanet potens operari etiam circumſcripta præmotione Diuina; eadem diſtinctione expendatur conſequens: vel reſpondetur & redit in idem, quòd in hac propoſitione volũtas noſtra nihil poteſt operari ſine pręmotione Diuina, aut nihil negat à nobis actum, & potentiam ad operandum; & ſic falſa eſt propoſitio, aut negat ſolùm actum, & ſic eſt vera.

Ad illud, quod dicitur; quòd ex pręmotione Diuina tollitur indifferentia noſtri liberi arbitrij, quę eſt de eius eſſentia ex eo, quòd ex prædeterminatione, & præmotione ad vnum tollitur à libero arbitrio potentia: ad oppoſitum reſpondeo, quòd duplex eſt indifferentia voluntatis, altera paſſiua in ordine ad Deum, ſecundum quam recipit præuiam Dei

præ-

præmotioné, qua Deus ipse efficit; vt liberum arbitrium se determinet ad volendum hoc, vel illud. Altera verò est indifferentia actiua in ordine ad istum, vel illum actũ liberum: Prima indifferentia tollitur efficienter à solo Deo per decretum efficax suæ voluntatis, quo producit motionem præuiam, quæ recipitur in voluntate; sed per eiusmodi præmotionem Diuinam tollitur solùm indifferentia, seù indeterminatio de inesse, non autem indifferentia de possibili: Secunda verò indifferentia tollitur efficienter ab ipsa voluntate mota à Deo ad eliciendum actum liberum, in quem Deus principaliùs influit; ex eo enim quòd voluntas ex præmotione Diuina se determinat ad hunc vel illum actũ eliciendum, efficienter tollit à se indifferentiam, seu indeterminationem actiuam: sed nõ aliã, nisi indifferẽtiã de inesse; nõ autẽ indifferentiã de possibili. Ad formã respondeo concedendo ex pręmotione Diuina auferri à nobis indifferentiam passiuam de inesse, non autem de possibili, quæ est de essentia liberi arbitrij; & iterùm conceditur ex eo, quòd liberum arbitrium ex præmotione Diuina se determinat ad hoc, vel illud auferri à nobis indifferentiam actiuam de inesse, non autem de possibili, quæ de eius essentia &c.

Ad illud, quod dicitur; quòd præmotio Diuina in ordine ad voluntaté est ipsa operatio voluntatis, ergo si Deus determinat & præmouet voluntatem antecedenter ad eius concursum, actus voluntatis erit à solo Deo, & sic voluntas merè passiuè se habebit. Respondeo determinationem Diuinam

nam

nam posse considerari dupliciter vno modo in ordine ad actum primum voluntatis, & sic non est eius operatio, sed est vltimum actus primi complementum, quo de potentia remota fit in potentia propinqua ad operandum, alio modo in ordine ad actũ secundum; & sic est formaliter operatio, vt alij tenent, licèt ergo aliud senserim in hoc, & hæc non sit à solo Deo, sed à Deo & libero arbitrio moto ab ipso Deo.

Ad illud, quod dicitur, quòd stante prædeterminatione Diuina in ordine ad nostram voluntatem, voluntas nõ se determinaret, quia quod est iam determinatum non ampliùs se determinat: cùm omnis prædeterminatio præsupponat in potentia indeterminationem, & hoc est contra rationem agentis liberi, cuius operatio ad hoc, vt sit libera, debet procedere à principio intrinseco liberè se mouente, & determinante. Respondeo, quòd Deus est simpliciter primum determinans, & voluntas nostra est secundariũ; quando ergo dicitur, quòd stante determinatione Diuina voluntas non se determinat, verum est vt primum determinans, non autem vt secundarium & proximum determinans: & quando dicitur, quòd omnis determinatio præsupponit indeterminationem, concedimus, & dicimus; quòd determinatio volũtatis præsupponit indeterminationem, quam voluntas dicit in ordine ad actum suum eliciendo: voluntas enim duplicem dicit indeterminationem (vt dictum est suprà) alteram passiuã, & huic correspõdet prędeterminatio Diuina; alteram verò actiuam in ordine ad suum liberum actum eli-

ciendum, & huic correspõdet sua determinatio, qua ex suo intrinseco & libero principio se determinat ad eliciendum hunc, vel illum actum.

Ad illud, quod dicitur volũtatem etiã necessitari simpliciter quantùmcunquè ex suppositione necessitetur; quia non est in potestate eius tollere suppositionẽ: voluntas enim supposita predeterminatione Diuina necessariò operatur, sed quia non est in eius potestate remouere & tollere eiusdmodi suppositionem; ideò dicitur simpliciter necessitari in sua operatione. Respondeo, quòd falsum est voluntatem operantẽ ex suppositione, cuius remotio non est in eius potestate, simpliciter necessitari; & instantia seù ratio negationis est manifesta in negatione Petri, quæ negatio simpliciter & absolutè fuit libera, & tamen non fuit in potestate Petri ponere, vel tollere dictum Christi, scilicet: *Antequàm gallus cantet, ter me negabis &c.* Ex cuius dicto Domini Nostri necessariò cõsequebatur negatio Petri, necessitate tamen infallibilitatis: aliàs enim Christus Dominus dixisset mendacium; & ideò respondetur, quòd vel suppositio antecedens se tenet ex parte primæ & omnipotentis causæ, vel se tenet ex parte alicuius causæ creatæ: si primo modo sit suppositio, id est quòd volũtas nostra operetur ex suppositione actionis superioris agentis, si voluntas nullo pacto necessitatur simpliciciter in sua operatione, sed solùm necessitate infallibilitatis, & ratio est; quia solus Deus propter suam infinitatem & omnipotẽtiam, & quia est Auctor voluntatis creatæ, potest il-

lum

lum immutare conformiter ad ſuam naturam,& mouere efficaciter atquè applicare ad producendum actum in particulari, non ſolùm ſecundum ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum modum libertatis: Si verò ſecundo modo ſit ſuppoſitio, quaſi verò voluntas noſtra operetur ex ſuppoſitione actionis agentis creati, poteſt dici quòd neceſſitarerur ſimpliciter; quia cùm omne agens creatum ſit finitum, & inferius ad voluntatem non poteſt immutare illam iuxta eius naturæ liberæ conditionem & exigentiam.

Ad illud, quod dicitur nos præuenire Dei gratiam, ex eo quòd Deus in vocatione peccatoris aliquid exigit à peccatore,& aliquid ipſe proponit peccatori: ſed priùs exigit à peccatore, & poſteà proponit,vt patet ex Diuo Paulo ad Roman. 10. *Si crederis, ſaluus eris*; Et x9 Marc. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Et ad Rom. 8. *Si Spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis &c.* Ex quibus locis non obſcurè colligitur, Deũ priùs exigere à peccatore conſenſum, ſeu id quod eſt in ſua poteſtate, & deindè proponere præmium; ſcilicet ſalutem,& vitam æternã. Confirmatur etiam in Pſalmiſta, quando dicit: *Manè oratio mea præueniet te, & præuenerũt oculi mei ad te diluculò; & præueni in maturitatem &c.* ergo ſi nos præuenimus gratiam Dei, non eſt neceſſarium auxiliũ Dei pręmouens nos ad benè operandum. Reſpondeo verum eſſe,quòd Deus aliquid nobis exigit, & aliquid nobis proponit, quando nos vocat: ſed dicimus, quòd vtrumquè eſt in poteſtate Dei, & quod à nobis exigit,

& quod nobis offert: & hæc est intentio Augustini exponēdo illud Apost. *Si spiritu facta carnis &c.* vbi dicit solùm, id quod nobis offertur, nempè vita ęterna, est in potestate Dei: sed etiā mortificatio factorum carnis est in sua potestate in hoc sēsu, scilicet quòd nos ideò mortificamus facta carnis; quia ipse speciali auxilio præuenientis gratię nos adiuuat, & præmouet ad id exequēdū, & nos vt causa proxima id exequimur: sed non nisi ex præuenientis gratiæ speciali auxilio, quod est radix, fundamentum & basis cuiuscunquè boni.

Confirmatur etiam hæc, seu prędicta respōsio ex Cœlestino Papa dicente: *Tanta est erga nos Benignitas Dei, vt nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius bona &c.* Ex quibus verbis colligitur, quòd licèt bona opera sint in potestate nostra, & sint ex nobis tanquàm à causis proximis liberè elicientibus; adhuc tamen sunt in potestate Dei piæ nostræ operationes tanquàm in donante auxilium, & tanquàm in primo incipiente & præmouente nos ad credęndum, sperandum & amandū. Et insuper quomodò potest Deus proponere & offerre nobis pręmium, & quomodò potest à nobis aliquid exigere in ordine ad pręmium consequēdum, nisi illuminando priùs intellectum & excitādo voluntatem; ergo nunquàm nos præuenimus gratiā Dei, sed semper ipso auxilio suæ gratiæ nos præuenit, comitatur & sequitur. Sed si quis dicat, quare ergo Deus priùs exigit à nobis aliquid, quàm offerat pręmium? Videtur saltem hinc sequi, quòd postquàm Deus sua gratia præuenienti excitauit nos; quòd

ex-

expectet noſtrum liberum conſenſum, vt tribuat nobis iuſtificantem gratiam.

Reſpondeo, quòd hoc nihil eſt: nam ſemper quod eſt prius in intẽtione, eſt poſterius in executione; & ecõtrà Deus enim priùs vult finem, & poſteà media ad finem in intentione: ſed in executione antequàm conſequatur finis, priùs ſunt exequenda determinata media; & ideò Deus priùs exigit mortificationem carnis, quàm proponat præmium.

Reſpondeo ad confirmationem, quòd noſtra oratio poteſt dici præueniens & ſubſequens; dicitur ſubſquẽs conſiderata in ordine ad primam vocationem, & gratiã primò præuenientem: dicitur verò præueniens, conſiderata in ordine ad vlteriorem effectum gratię præuenientis; & hoc ſecundo modo intelligitur illud: *Et oratio mea præueniet te*; aut dicatur & meliùs, quòd oratio mea pręueniet te tanquã medium ad conſequendum finem, quod medium habet eſſe dependenter à præordinatione Diuina, quemadmodùm ipſe finis.

Notandum eſt, quòd ſola innata libertas, etiam eleuata auxilio ſufficienti, non eſt proxima diſpoſitio ad iuſtificationem; dicitur tamen, & eſt diſpoſitio remota: ſed ad hoc vt libertas innata ſit proxima diſpoſitio ad iuſtificationem, debet eſſe eleuata & mota per auxilium efficax præuenientis gratiæ.

PROPOSIT. XXX.

Deus ab æterno aliqua decreuit ſic præciſè in ſe, quòd non ſub omni particulari circumſtantia.

Concluſio, & reſponſio eſt affirmatiua: declа-

claratur tamen antequàm probetur, non intelligo sic, quòd ab æterno Deus aliquid decreuit in communi, & in tempore aliquid declarat in particulari: nec intelligo, quòd aliquid decreuerit ab æterno indeterminatè, & posteà in tempore exequatur determinatè decretum indeterminatum; verbi gratia quòd decreuerit instituere duodecim Apostolos non discernendo personas, in tempore verò explicitè elegerit, & nominauerit personas: sed intelligo quòd in eodem nunc æternitatis considerande sunt iuxta numerum maximum intelligendi aliqua instantia naturæ, in quorum vno Deus intelligitur decernere aliquid in genere, vel in specie, aut in indiuiduo; in alio intelligitur decernere illudmet magis in particulari, descendo ad perticularissimas conditiones, quæ rẽ in actuali existentia consequuntur. Hæ conditiones communi nomine dicuntur morales, vt quòd ego legam, vel scribam hìc, nunc, coram vobis sic, vel sic; omnes tamen conditiones existentium creaturarũ comprehẽdũtur sub his duabus verbis, hìc, nunc.

Consensus Scoti in hac Conclusione.

SCotus in primo dist.41. quęst. vnica §. *Potest aliter &c.* supradictæ conclusioni & rationi assentitur, dũ inquit: *Volens ordinatè finẽ & ea, quæ sunt ad finem, priùs vult finem quàm aliquod entium ad finem, quia propter finem alia vult; ergo in toto processu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectũ finem, finis vltimus sit beatitudo perfecta: Deus volens huic*

huic aliquid istius ordinis, primò vult huic creaturæ beatificabili finem, & quasi posteriùs vult sibi alia, quæ sunt in ordine illorum, quæ pertinent ad illus finem &c. Infero ego ex his verbis, ergo Deus decreuit dare huic gloriam in se non secundum rationem modi specialis, nempè in tanto gradu, vel tanta latitudine; quam tamen sic aliquando præcepit, quia pro mensura meritorum datur & accipitur maior vel minor merces. Hoc ipsum habet in 2.dist. 20.quæst. 2. §. *Dico, quòd soli &c.* vbi probat, quòd soli nunc electi fuissent in statu innocentiæ nati, & ponit hunc ordinē, quòd Deus: *Primò vult seipsum, vel bonitatem suam tāquàm finem; secundò vult bonum creaturæ rationalis vltimatum, quod est communicatio creaturæ, seu communicatio beatifica bonitatis creaturæ tali: & posteà vult gratiam, quæ ordinatur ad beatitudinē, vel ad fruitionem eius &c.* Id ipsum repetit in 3. dist. 19.quæst.vnica §.*In ista quæstione*: vult enim, *Quòd primò Deus intellexit se sub ratione summi boni, in secundo signo intellexit omnes creaturas; in tertio prædestinauit hos ad gloriam & gratiam, & circa alias habuit actum negatiuum non prædestinando: in quarto præuidit illas casuras in Adam, in quinto præordinauit, siuè præuidit de remedio, quomodò redimerentur per Passionem Filij sui; ità quòd Christus in carne sicut omnes electi priùs præuidebatur, & priùs prædestinabatur ad gratiam & gloriam, quàm præuideretur Passio Christi vt medicina contra lapsum &c.* Et iterùm ibi: *Trinitas priùs præordinauit prædestinatos & electos ad gratiam & gloriam finalem, quàm ad efficaciam,*

quàm

& quã præuiderit Christi Passionẽ tanquàm medicinam &c.

Ex his omnibus habeo, quòd Deus aliquos saluare decreuerit volendo eis gloriam; priùs quàm decreuerit eosdem saluare hac vel illa via: huiusmodi decretũ non terminatur ad gloriam in genere, vel secundum se priùs quàm terminetur ad eandem in indiuiduo, & secũdum rationem specialem; communiter tamen statuitur eadem conclusio aliquibus rationibus, & secundum cõmuniter accepta à Theologis.

Probatur decretum Dei respectu rerum in se.

THeologi omnes vnanimi consensu in Deo concedunt voluntatem antecedentem & subsequentem signi & beneplaciti: quod est velle omnibus vitam æternam voluntate antecedenti, nisi velle ipsam ęternã vitam omnibus non in particulari, sed tantùmmodò secundum se; quid velle voluntatem signi, nisi proposuisse dare decreto quodam secũdum se non in particulari, seu sub hac vel illa ratione? Qui concedunt Deum velle aliqua inefficaciter, alia verò efficaciter in eo quòd admittunt decretum ad aliqua; nondùm tamen sub ratione particulari. Aiunt quidam Deum cognoscere creata omnia per idæas, ipsas autem idæas dicunt in repręsentãdo abstrahere ab hic, & nunc; si Diuinum decretum sequitur notitiam Dei iudicatiuam seu practicam, consequenter non habent fateri ipsum decretum posse terminari ad rem in communi, vel in se asquè hoc, quòd terminetur

ad

ad ipſum ſub ratione particulari: ſi verò dicant, quòd decretum Dei ſit priùs notitia, quam habet de ipſo; adhuc non habetur intentũ, eo modo nõ cognoſcitur decretũ, quo ipſum eſt, ſi in idea cernitur abſq; conditionibus moralibus hìc & nunc, non fuit decretum abſquè his cõditionibus. Pro hac eadem concluſione facit illud: *Diligis omnia, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti &c.* Sap. 10. verificatur enim de dilectione Dei in generali, vel in ſe; dilectio verò ad extrà non ſequitur æternum decretum. Itẽ Eccleſia nõ orat, Deus qui ſaluas omnes, & hominem vis perire: quot pereunt, quomodò ſaluat omnes, ſi aliqui pereunt? Item ratione ſic, non eſt neceſſe Diuinum decretũ tranſire ſuper actum, & ſuper quemcunquè modum actus; ergo poſſibile ipſum tranſire ſuper aliquid in genere, & ſi non in tempore in ſe, non ſub ratione ſpeciali. Conſequentiã probo, quia modus rei ſpecificat rem: antecedẽs probo, humanum decretum pendet à Diuino, multa noſtra decreta habent pro termino aliquid in genere, non in indiuiduo; ergo &c. Confirmationem probo, hæ leges prohibentes hoc, vel illud ſub pœna ſuſpẽdij; nunquid decernunt hunc præciſè eſſe ſuſpendendum, vel illum.

Item Diuina decreta nõ diſtinguntur niſi penes ſuos terminos, nihil prohibet quòd ſit aliquid cõmune, & ſi non in particulari ſit volitum a Deo; ergo nihil prohibet quòd aliquod decretũ Dei ſit de re in communi, vel ſaltem in ſe, quàmuis non in ſingulari & ſub ſingulari ratione ſpecificata.

Item ad quid diceretur;

Multi sunt vocati, pauci verò electi? nisi decretum aliquod ipsius Dei terminaretur ad communem vocationem, aliud ad specialem. Innuitur huiusmodi decretum in actis Apostolorum cap. 4. dum legitur: *Conuenerunt aduersus puerum tuum* Sanctũ *Iesum* Herodes *&* *Pilatus facere, quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri &c.* Ac si diceretur, actus virtutum Christi decreto Diuino præfiniti quidẽ fuerunt: sed non peccatum crucifigentium, vel non hac limitatione, seu specificatione; vt Christus illos exerceret, mediante peccato crucifigentium. Hanc meam glossam nõ abhorrent Chrisostomus, & Oecumenicus hoc loco, nec D. Leo serm. 16. de Passione Domini.

Innuitur etiam in illud Math. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius*: non est perinde ac si deceretur, gehenna parata est propter malos Angelos, ac propterea non hominibus peruersis; & alio decreto sancitum est, vt sit nobis & illis pœna communis, quorum communis est ratio dã-nationis.

Arguitur contra decretum in se.

SI sic esset, quòd Deus aliqua determinaret in se non in particulari, secundum omnes ipsorum circũ-stãtias dici posset: quòd Deus decreuisset peccatũ in se, & si non decreuisset hoc vel illud peccatum idololatriæ, blasphemiæ, homicidij &c. Consequens est falsum, quia nullius culpæ Deus est Auctor; peccatum verò, vt peccatum etiam abstrahendo ab omni specie mali, est ma-

lum

lum ineuitabiliter & deformiter: Consequentia probatur, quia peccatum in se potest esse terminus actus voluntatis Dei; ergo potest esse terminus decreti Diuini.

Respondeo negando cõsequentiam, ad probationẽ concedo; quòd possit esse terminus actus alicuius voluntatis, sed nego, quòd sit terminus actus voluntatis Diuinæ perfinientis, vel decernentis: ratio est, quia decretum Diuinum se extendit ad positiua tantùm; peccatum verò, vt peccatum, includit essentialiter priuationem connotando rectitudinem: dicit enim carentiam rectitudinis, quæ deberet inesse; potest tamen esse terminus permissionis, permissio autem nil aliud est nisi velle non prohibere, & sic decretum Diuinum (si terminatur ad aliquid respectu peccati) terminatur tantùmmodò ad negationem prohibitionis. Quis autem diceret benè argumentando, Diuinum decretum potest determinare ad aliquod positiuum in genere; ergo & ad priuatiuum.

Item Deus cognoscit infallibiliter; & secundum omnes circumstantias omnia possibilia; ergo decreuit ea non modò in se, sed etiam secundum eorum circumstãtias omnes & singulas. Consequentia probatur, quia cognitio infallibilis contingẽtium non causatur à Diuino decreto; ergo vt intelliguntur, ità decreta sunt.

Respondeo negata consequentia, dico ad probationem; quòd cognitio Diuina semper est distincta & sẽper infallibilis pro eodem nunc æternitatis, ac similiter pro eodem nunc vel signo naturæ cæteris paribus,

hoc est in primo signo naturæ res est cognita à Deo eo modo, quo sibi competit cognosci pro illo signo: at non est cognita, immò nec cognoscibilis in illo primo signo eo modo, quo est apta nata cognosci pro secundo & tertio signo, vel alio signo. In proposito futura, vel possibilia sũt apta nata cognosci in se, antequàm sint cognoscibilia secũdum eorum omnes circustantias; atquè ità vt exẽplariter dicam, Passio Christi fuit cognoscibilis vt futura tali die, tali loco, & etiam à tali ac tali ministro, antequàm esset cognoscibilis illata ista vel illa intentione. En quomodò stat infallibilitas Diuinæ scientiæ cũ decreto Diuino.

Tertiò arguitur, quod est in aliquo genere, necessariò est in aliqua specie, & necessariò est aliquod indiuiduũ illius speciei; ergo Deus nihil decernit, nisi in indiuiduo: propria autem ratio cuiuscunquè indiuidui probabiliter sequitur ipsum; ergo Deus nihil decernit indiuidualiter, nisi sub propria ratione illius indiuidui.

Respondeo; differunt valdè terminus Diuini decreti, & effectus eiusdem: effectus Diuini decreti est aliquod indiuiduum, & sub propria sua ratione; & terminus Diuini decreti ad plura se extendit, quàm effectus & Diuina voluntas decernẽs sua præfinitione abstrahit in specie, & indiuiduo. Nego igitur consequentiã: voluntas enim Diuina in decernendo est magìs abstractiua, quàm in exequendo; executio necessariò terminatur ad res existentes in se, & vt in re existentes, non ità præfinitio. Aliter possunt dici negando vltimam consequentiã; quia ex propositione

ne

ne indefinita nõ infertur syllogisticè propositio vniuersalis vniuersaliter admittendo, tamen potest distingui de propria ratione indiuidui: alia enim est propria ratio substantialiter, quæ à Scotistis hæcceitas dicitur;alia accidẽtaliter: prima necessariò sequitur indiuiduũ, secunda nõ;hìc est in proposito Diuinũ decretũ,si terminatur:verbi gratia, Incarnationẽ Verbi terminatur ad aliquid in indiuiduo, idest ad hanc vnionem, qua hæc humanitas assumitur ab hoc supposito Diuiuo in vnitate personæ; ista pertinent ad propriam rationem indiuidualem & substantialem. Non refert autem, quòd Incarnatio Verbi terminetur ad hanc vnionem in carne passibili vel impassibili; quia istæ rationes scilicet passibilitas,vel impassibilitas sunt accidẽtales,nec variant rationem substantialem & propriam huius indiuidui, & huius vnionis.Qui non recipiunt hãc doctrinam, habent fateri de necessitate, quòd nunc nolit in Cœlis idem Christus numero, qui pepẽdit in Cruce: quòd non sit realiter & substantialiter idẽ Christus secundum esse naturale in Cœlo, & secundũ esse Sacramentale in Eucharistia; quòd nec resurgeret in Iudicio, idem homo numero cuius esse fuit interruptum.

Quartò arguitur, non sunt multiplicãda entia absquè necessitate, non est autem necesse alio & alio decreto ad gloriam in se, & ad gloriam mediantibus meritis his, vel illis; quia in hoc vltimo decreto includitur primum, ergo &c.

Respondeo, necesse est Dei decreta multiplicari, sicut est necessaria distinctio

in

in obiectis Diuini decreti vel in terminis; & sic quàmuis in vltimo Decreto includatur primum, nòn tamen è conuerso, terminus autem primi decreti potest esse quidquid volibile ad extrà. In huiusmodi multiplicatione est multiplicatio tantũmodò respectuum rationis ex parte Dei, in qua multiplicatione quomodòcunquè numerentur, nullum incõueniens inuoluitur.

Quintò arguitur, Diuina decreta proueniunt ex Diuina prouidentia: hæc autem non respicit res in se, sed in particulari pro vt consideratur sub suis rationibus substãtialibus & accidentalibus; ergo & decreta Dei respiciunt res tantùm in particulari. Probo minorem, nõ ponitur Iudas, quia Iudas: sed quia sic, & sic peccauit; ergo nec decretũ Dei ex eius prouidentia respexit Iudam puniendum, nisi quia sic, vel sic peccauit.

Respondeo negando minorem quò ad primam partem, ad probationem dico; quòd prouidentia Dei & respexit in se, & res sub rationibus euidentalibus: nam quòd Iudas creatus fuerit, prouenit ex Diuina prouidentia, quòd assumptus ad Apostolatũ ex Dei prouidẽtia; quòd iustificatus ex Dei prouidẽtia: multi enim sũt in dices, in quibus relucet Dei prouidentia, penes quos dico; quòd Iudas non damnatur, quia Iudas, sed penes alium ordinẽ: sed quia pœnitentia est ordinatiua peccati, idcircò damnatur pręcisè; quia peccauit: peccatum opponitur prouidentiæ Dei in ordine gratiæ, sed Iudas in se pertinet ad prouidentiam Dei in ordine substantiali & naturæ; & sicuti distincti sunt ordines prouiden-

dentiæ, ita etiam distincta sunt decreta.

PROPOSIT. XXXI.

Aliquod decretum potest terminari ad rem futuram, seù possibilem tantùm ex suppositione.

DEcreta cōditionata rei possibilis tantùm & si non futuræ, libentissimè admittit Scotus & sustinet in 3.dist. 9. quæst.2.quòd si Adam non peccasset, Verbū assumpsisset naturam humanam, venissetq; Christus; vt glorificaretur, nec sustinuisset patibulum. Hoc possibile nullus negat apud Theologos: an non coguntur omnes fateri decretum conditionatum, seu decretū de re possibili tantùm ex suppositione, vt si Deus reuocaret Iudam ad statum vię, illiquè gratiam efficacissimè vocationis concederet, quemadmodū Saulo concessit: si ipse Iudas assentiretur, diceretur consequenter, quòd Iudas posset fateri peccata sua, & veniam obtinere. Hinc D. Bonauentura in primo dist.40. art.3. in solutione argumentorum principaliū subtili ac longo discursu pertractat, quomodò prescitus possit prædestinari & saluari; adeò quòd ex hac conditionata possibili si Iudas prædestinaretur, sequitur hoc possibile, Iudas saluaretur: & ex alia conditionata possibili & priore; videlicet si Iudas præintelligeretur predestinari; sequeretur hæc absoluta possibilis, Iudas prædestinatur. Idem Seraphicus Doctor & si explicitè non nominat decretum cōditionale, nominat tamen voluntatem conditionalem in primo distinct.40. art. 3. quæst.2. in corpore quæstio-

nis

nis dicens: *Voluntas Diuina aut simpliciter vult, aut conditionaliter, sicut infrà patebit &c.* Et iterùm inferiùs: *Posset etiam considerari Diuina volūtas, vt antecedens conditionalis &c.* Et dist. 46. art. 1. fatetur voluntatem Dei conditionatam fuisse in confesso apud Magistros.

Probatur conclusio affirmatiua & conditionale decretum.

SPonsio Diuina non est falsa; ergo aliquod decretum Diuinum seruatur ad non futurum & possibile tantùm ex suppositione. Probatur consequentia in pio, dum est in via; dicitur Ezechil. 33. *Nolo mortem impij; sede vt conuertatur, & viuat &c.* Essetnè infallibiliter vera ista promissio, nisi præcederet aliquod Diuinum decretum? Non præcessit autem Diuinum decretum absolutum; ergo conditionatum: si enim absoluto decreto Deus nollet mortem impij, nullus impius periret; vult ergo impium non perire quidem, sed hac seruata conditione si se conuerterit. Cōnfirmantur prædicta ibidem: *Etiam si dixero iusto; quòd vita viuat, & confisus in iustitia sua fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ eius obliuioni tradentur &c. Si autem dixero impio morte morieris, & egerit pænitentiam &c. vita viuet & non morietur &c.* Vita & mors homini designata non sunt ex decreto Dei, quorsum proponerentur sub conditione futura, nisi essent sub conditione decrera; nunquid omnes secundum præsentem iustitiam Sancti, secundum finalem iustitiam ex hac vita Sā-cti decedunt?

Item Deus decreuit ab-

solu-

ſolutè coagere cauſis ſecundis communiter ad ſuos eorum motus & effectus iuxta illud Auguſtini de Ciuitate Dei cap. 30. *Deus res, quas condidit ità adminiſtrat, vt eas motus ſuos agere ſinat &c.* ergo aliqua decreuit conditionatè. Probo conſequentiam per verba Chriſti, quãdo videns Ciuitatem Hieruſalem fleuit dicens: *Si cognouiſſes & tu &c.* Lucæ 29. hoc eſt, ſi tu cognouiſſes tempus viſitationis tuæ, & tu mecũ fleres; ergo Deus decreuerat ad fletum ciuitatis concurrere, ſi illa cognouiſſet, & quia cognouiſſet ipſa ſuum futurum excidium: non cognouit, non fleuit cum Chriſto; nec Deus cooperatus eſt ad fletũ illius. Plura extant in ſacris literis verba, & exẽpla indicãtia decretũ cõditionatũ, ad quæ recurrat qui cupit, præſertim ad præfatum caput Geneſeos, ad 20. Numer. ad 24. Ioſue, ad 24. 2. Reg. ad 3. lib. 3. Regum, ad primum Iſaiæ, ad 23. Danielis, ad 21. Eccleſiaſt. ad 29. Math. ad 5. Lucæ, & alibi. Inſignis tamen locus eſt 1. Regum 23. cùm Dauid ſciſcitatus fuiſſet Deum: *Si tradent me viri Ceilæ &c. Et ſi deſcẽdẽt, ſicut audiuit ſeruus tuus &c.* Sequitur in contextu: *Et ait Dominus, deſcendent; dixitquè iterùm Dauid, ſi tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum in manu* Saul, *& dixit Dominus, tradent &c.* Hoc non erat abſolutè futurum, quia reuerà non euenit; ergo fuit poſſibile conditionatum, & futurum ex ſuppoſitione tantùm, nihil autem eſt quomodocùnquè futurum abſolutè abſoluto, ergo nec cõditionabitur abſquè decreto conditionato.

Arguitur contra decretum conditionatum.

RErum euentus non accidunt causaliter, sed conformiter ad decretum Diuinum; quæ autem eueniunt, non eueniunt absolutè. Quid quæso venit conditionaliter.

Respondeo, quòd hoc argumento probatur decretum absolutum, quòd à nobis minimè negatur: at præter decretum absolutum dicimus esse aliqua possibilia cõtingẽtia præsertim libera, quę nõ eueniũt, nec absolutè connumerantur inter decreta absoluta: sed tantùmmodò inter conditionata.

Item decernere Dei est suum velle, velle autem Dei nõ terminatur ad possibilia non futura; ergo nec decretum Dei. Minor probatur per glossam super illud: *Iustus Dominus in omnibus vijs suis &c.* Psalm. 14. dicens Deo, hoc est velle quod facere, non facit autem omnia possibilia; ergo non vult omnia possibilia, sed sola futura.

Respondeo, velle efficax in Deo est facere secundum glossam, sed præter hoc datur simplex velle, & iuxta hæc datur duplex decretum; simplex nempè, & efficax. Glossa supradicta probatur potiùs, quòd potentia executiua in Deo non distinguitur à voluntate efficaci, & facit pro notitia Scoti.

Item quidquid Deus vult plenè vult; ergo nihil conditionaliter decreuit. Consequentia probatur, decretum conditionale est volitio Dei conditionata: hæc autem est semiplena tantùm; ergo & decretum erit semiplenum tantùm. Antecedens probatur, velle & facere in Deo

sunt

ſunt eiuſdem perfectionis: Deus nihil ſemiplenè facit; ergo nec quidpiam ſemiplenè vult.

Reſpondeo, antecedens poſſet negari; tranſeat tamen, ſed cæteris paribus: ſi vult abſolutè, plenè vult abſoluta volitione; ſi verò conditionaliter vult, plenè etiam vult, ſed infra ordinẽ conditionalem volitionum. Et tũc conſequentia negatur, nec probatio aliquid concludit, quia velle conditionaliter & facere, non ſunt eiuſdem ordinis, ſunt tamen eiuſdem perfectionis vnum quodquè in ſuo ordine. Aliter dico, quòd volitio Dei poteſt conſiderari penes ſuam ſubſtantiam, vel penes terminos: primo modo plena eſt, nec quidpiam Deus ſemiplenè vult, in ordine verò ad terminos ſic variatur ſecundum quod valitum eſt aliquid in eſſe reàli, quod eſt eſſe plenum; vel in eſſe obiectiuo tantùm, quod eſt eſſe ſemiplenum. Ex hoc patet reſponſio ad illud, & velle & facere ſunt eiuſdem perfectionis; verũ eſt quò ad ſubſtantiam, non quò ad terminum.

Item hoc decretum conditionale aut eſt actus voluntatis beneplaciti, aut voluntatis ſigni, hoc ſecundo modo non eſt dicendum; quia de conditionalibus nõ datur præceptum, nec conſilium, nec monitio, nequè ſimilia: ſi primo modo contrà, voluntas beneplaciti Dei ſemper impletur, decretum conditionale non impletur; ergo non eſt actus voluntatis beneplaciti.

Reſpondeo, eſt actus voluntatis ſigni, & nego quòd de conditionalibus non detur præceptum, vel conſilium, vel aliquid huiuſmodi; vt patet Genes. 3. in

persona Cain: *Nonnè si benè egeris, recipies &c.* Aliter dico, quòd voluntas beneplaciti non est aliud nisi ipsamet complacentia Dei, quæ impletur per hoc, quòd complacet Deus sibi, & tunc posset dici ad rationem; quòd decretum conditionale est actus voluntatis beneplaciti, quo Deus complacet sibi de illo possibili conditionato: nec tamen volitum conditionaliter suscipit aliquid à Deo, sed tãtùm terminat illius conplacentiam, qualiscunq; sit.

Itẽ voluntas Dei antecedẽs est irrefragabiliter, decretum conditionale est opus voluntatis antecedentis, idẽ si conuertar, & si conuerti volueris; ergo huiusmodi decretum est irrefragabile.

Respondeo, hęc ratio est eadem cum præcedenti, & eadem responsione hìc applicata soluitur; adhuc tamen dico pro vtroquè argumento, quòd decretum Dei antecedens est irrefragabile & semper impletur, quia per illud decretũ Deus vult conferre media sufficientia ad consecutionem finis, & ad nihil aliud se extendit: ac propterea quòd Deus conditionaliter statuit, impletur & est irrefragabile. Quis dicet defuisse Iudę aliquod medium ex parte Dei, per quod non posse se disponere ad cõsequendam veniam? Deus (fateor) non est cooperatus conuersioni Iudæ; sed cur? non quia Iudas noluit cooperari Deo vocanti, & excitanti.

Dices, ergo multùm dãnatio damnatis ipsis imputãda non est; patet, quia si Deus contulisset eis media conditionaliter requisita, nõ perijssent Tyrij & Sydonij, si vidissent signa, non neglexissent suam salutem.

Res-

Respódeo pro nunc, quia ad hunc eũdem lapidem redeundum erit; quòd in omni peccatore sua est imputãda damnatio, quia media coditionaliter requisita quibusdam iustè denegantur: de Tyrijs, & Sydonijs est specialis responsio: Deus enim negauit ea signa, quibus aliquam pœnitentiam egissẽt, sed illa aliqua præsentia non fuisset integra, vel talis vt per eam consequerentur indulgentiam. Hęc glossa non est violenta, de ipsis enim ait Christus: *Tyro & Sydoni remissius erit in die Iudicij. Math.* 11.

Item si decreto conditonato Deus vellet saluare Iudam, infallibiliter saluaretur. Consequens est falsum, probatur consequentia: Iudas cum minimo gradu gratię, stante suo proprio decreto absoluto, non saluaretur infallibiliter; quare non potest saluari stante decreto cõditionato Dei ex vi infinitę, vel saltem maximæ gratiæ Dei.

Respondeo, Iudas de potentia Dei absoluta, & ex gratia absoluta potest indubitanter saluari; quia talis est conditio decreti absoluti potentiæ absolutæ, & gratiæ absolutæ collatæ: at stante decreto conditionato, & gratia conditionaliter inferenda implicat contradictionem Iudam saluari; quia talis est conditio, vel materia decreti conditionati: & sicut implicat contradictionem decretum efficax esse inefficax, & decretum absolutum esse conditionatum, & è conuerso; ità implicat cõtradictionem aliquẽ saluari per decretum inefficax & condictionatum: quia igitur Deus decreuit saluare Iudã, si tamẽ ipse velit pœnitentiã agere, & deest hæc conditio

ex parte Iudæ; infoelix ille saluari non potest ex gratia, & solo decreto conditionato.

PROPOSIT. XXXII.

Datur decretum indifferens.

SEnsus Propositionis est huiusmodi, ex eo quòd ad aliquem finem consequẽdum possunt aliquando inseruire duo media æqualia, sed distincta: quæritur, an possit dici quòd Deus decreuerit executionem illius finis mediante altero illorum mediorum non specificato aliquo signanter? Nec intelligo pro indifferentia indeterminationem, qualis erat illa, quam proposuit Hebræis Iosue dicens: *Optio vobis datur eligẽdi hodiè quod placet, cui seruire potissimũ debeatis; vtrùm Dijs quibus seruierũt Patres vestri in Mesopotamia, vel Dijs Amorrheorum &c.* Iosue 24. quia Deus non decreuerit Iudęos seruire Idolis, nisi permissiuè: sed intelligo indifferentiam, vbi vtrumquè extremum est æqualiter eligibile; exemplum est 2. Regum 24. quando per Nathan Prohetam datũ est Dauidi in pœnam numerati Populi: *Trium data est tibi optio, elige vnum quodcunquè volueris &c. Aut septẽ annis veniet tibi fames in terra tuà; aut tribus mensibus fugies aduersarios tuos, & illi te persequentur: aut certè tribus diebus erit pestilentia in terra tua &c.* In quo casu dixit Dauid: *Coarctor nimis, & quid eligam ignoro; sed melius est mihi incidere in manus Domini &c.* Decreuerat ergo Deus infallibiliter punire peccatum Dauidis, sed hoc decretum in particulari punitione optionem & electionẽ Dauidis tibi videtur fuis-

fuisse indifferens; nùm puniret fame, nùm bello, nùm peste? Hìc potest esse vera electio, quia quælibet pars licèt, & Dauid iustè ex debitoquè necessariò tenebatur eligere vltionem aliquã pro suo peccato: velle autem vlcisci malum tam in alio, quã in se bonum est, quia pœna est ordinatiua culpæ. Fuit nè igitur decretum Dei pro aliquo signo indifferens, circa illa tria superiùs nominata?

Respondeo per has conclusiones. Prima, decretum Dei potest esse indifferens pro aliquo signo naturæ in nunc æternitatis Secunda, nullum decretum Dei indifferens fit determinatum per solam electionem creaturæ. Tertia, decretum Dei absolutum & efficax nunquàm est indifferens, sed semper determinatum.

Prima conclusio probatur sic: decretum Dei se extẽdit ad quodcũquè ens positiuum, quod non est impossibile, nonnulla contingentis possibilia & pro aliquo signo naturæ sunt ex se indifferentia; ergo & decretum est indifferens. Minor probatur: aliqua actualiter existentia ex se sunt indifferentia; ergo multò magìs aliqua in esse possibili, & obiectiuo possunt esse ex se indifferentia.

Item decreta Dei determinantur à volitis: at aliqua volita ex se (pro aliquo signo saltem) sunt indifferentia, vt duo media ęqualia ad eundem finem comparandi ordinata; ergo decretum Dei ab illis denominabile est indifferens.

Item quidquid est in rerum natura positiuum, & actuale, Diuino decreto volitum est: aliqua in rerum natura sunt à nobis indifferen-

ren-

renter volita, & ex se indifferenter bona, vt constat ex illo 2. Reg. 24. Diuino decreto volita sunt.

Secunda conclusio, nempè quòd nullum decretum Dei indifferens specificetur, vel fiat determinatum per solam electionem creaturæ, hæc (inquam) conclusio indiget altiori perscrutatione; supponendo tamen quòd Deus sit prima causa cuiuscunquè actus positiui primitate perfectionis, & quòd omnia contingentia pendeant à Diuino decreto cōtingenter determinante. Conclusio esset manifesta: nam ab illo est determinatio Diuini decreti, à quo est applicatio volitionis Diuinæ, hæc non est à sola creatura (etiā sustinēdo vnam sententiam, cui nec propendo) sed ab ipsa voluntate Dei, & magis quàm ab ista; quia determinatio, quæ est à creatura, est solummodò extrinseca (& hoc indubitanter credo) & per modum terminantis ipsum decretum, à voluntate autem Diuina efficienter & per modum principij, & causæ Deo extrinsecæ, & sic dato quòd voluntas creata requireretur ad decretū determinatum Dei, hæc tamen nō definiret decretum indifferens ex se sola absquè voluntate Diuina applicante.

Item solus Deus potest ordinare duo media penitùs æqualia, ergo & solus ipse potest determinare decretū indifferens, vt cadat super vnum illorum signanter. Antecedens probatur, quia creatura saltem rationalis quantùmcunq; perfectionis non discernit rerum differentias indiuiduales, & sicut species speciem gradu essentiali superat; ità indiuiduum est indiuiduo perfectius in gradu diuiduali. Apud Philo-

losophos est sententia, quòd si capillus à duobus iumentis virtutis õninò ęqualis per vtras extremitates ad oppositos terminos traheretur, rumpi minimè posset propter æqualitatem virtutis in ipsis iumentis : facilè verò abrumperetur dato minimo excessu virtutis in altero mouentium iumentorum ; quis hominum non potest cognoscere similem æqualitatem ? ex consequẽti, quis posset decernere media indifferentia.

Dices immò quia media sunt æqualia, non est opus decreto vel electione alterius ipsorum : sed sufficit casualiter specificare vnum, & tunc medium indifferens fit determinatum . Hoc nihil est, quia Deus nihil causaliter agit, sed eligit pro suo libito vnum ex illis medijs altero relicto.

Arguitur hoc, Chrisostomus Homelia quadam super cap. 12. Epist. ad Hebr. loquens de concursu voluntatis nostræ & Dei inquit : *Oportet enim nos priùs eligere bona, & tunc ille sua inducit &c.* Electio non est absquè decreto, vel saltem decretũ non sine electione, si nos priùs eligimus; ergo Deus nihil determinatè decernit, nisi post nostram electionẽ & à nostra electione.

Respondeo, Chrisostomus non loquitur ibi (vt ad præsens attinet) de actibus signatis , sed de exercitis. Huius sententia est, quòd in actibus oportet nos prius, eligere bona; hoc est actu elicito signatis oportet nos priùs velle, posteà operari. Velle (exempli gtatia) pauperi elargiri, posteà elargiri si voluerimus actu signato, suppeditabitur nobis à Deo efficacia ad subueniendum pauperi actu exercito. Nec

loquitur Chrisostomus de ordine electionis nostræ, quē habet ad electionem Diuinā, quasi voluntas nostra priùs decernat exequi, quod elegit; & posteà voluntas Diuina decernat, quòd nos elegerimus: stat enim quòd voluntas Diuina determinet primò, deindè nostra voluntas decernat concorditer ad Diuinum decretum: & tertio, quòd in exercitio actus imperati voluntas nostra adiuuetur ad exequendum iam decreta.

Tertia conclusio, nempè quòd decretum Dei absolutum & efficax semper sit determinatum & non indifferens, non indiget examine: cōstat enim quòd Diuinum decretum absolutum tūc est efficax, quando coniungitur ipsi intētus effectus, modò impossibile est nos exequi finem per duo media indifferentia simul applicata; nisi alterum illorum determinatè sit omninò inutile, vt constat in causis per accidens.

PROPOSIT. XXXIII.

Deus ab æterno antecedenter ad præscientiam operationis arbitrij determinauit omnes actus peccaminosos quantùm ad positiuam entitatē illorum, & in tempore præuia motione verè efficienter, seu phisicè præmouet illud ad exercitium actuum substratorum peccatis.

PRo huiusmodi quæstionis intelligentia notandum est primò, quòd cùm omnia peccata sint futura contingentia, necessum est; vt in eorum esse determinato dependeant à decreto voluntatis Diuinæ, vt probatū est, & quia peccatum duo di-

dicit, ſcilicet aliquod poſitiuum, & omne poſitiuum creatum eſt ens per participationem: ergo debet reduci ad ens per eſſentiã, ergo etiã omnis entitas poſitiua, quæ reperitur in peccatis, cùm ſit ens per participationẽ, debet reduci ad ẽs per eſſentiã; ergo hinc certum eſt, quòd Deus ab æterno antecedenter ad præſentiam operationis arbitrij prædeterminauit omnes actuspeccaminoſos, quãtùm ad poſitiuam entitatem illorum.

Nota, quòd cùm ex alia Propoſitione habeatur pro certo, Deum abſoluto decreto voluntatis ſuæ ab æterno prædeterminaſſe omnia futura contingentia, & conſequenter (vt ex iam prędictis patet) prædeterminaſſe etiã actus peccaminoſos quantũ ad poſitiuam entitatẽ illorũ, quæritur nunc & præcipuè hìc; an Deus in tempore præuia motione verè efficiẽter & phiſicè præmoueat noſtrum arbitrium ad exercitium actuum, qui ſubſternuntur peccatis?

Conſidera, quòd præmotio noſtri arbitrij in tempore correſpondet æternæ prædeterminationi, hoc eſt quòd noſtrum obiectum ad eos dumtaxat actus à Deo in tempore præmouetur, quos ipſemet Deus ab ęterno prędefiniuit exerceri in tempore à libero arbitrio; & quia impoſſibile eſt de lege communi Diuinum beneplacitũ & decretum non adimpleri, ergo ſi Deus ab æterno prędefiniuit liberum arbitrium in tempore exercere tot actus peccaminoſos quãtùm ad poſitiuam entitatem illorum, ergo etiam in tempore Deus phiſicè præmouet noſtrum arbitrium ad exercitium illorum actuum. Cõſequentia probatur, quia vt

satis abundè probatum est in alia Propositione, causa secunda in essendo & in operando dependet à prima; ergo nunquàm de facto potest operari, nisi præmoueatur à prima, ergo liberum arbitrium nunquàm exibit in actuale exercitium illorum actuum, qui ab æterno fuère à Deo prædererminati, absquè eo quòd præmoueatur ab ipsomet Deo tanquã prima causa: immò ex duplici capite necessariò debet præmoueri ad exercitium illorum, tùm quia si ab æterno sunt prædefiniti; ergo necessariò debẽt habere esse in tempore, tùm quia liberum arbitrium non potest actualiter operari absq; preuia Dei motione. Hinc colligitur liberum arbitrium, & etiam quamlibet aliam causam creatã extrinseca predeterminatione ab eterno predeterminari à Deo ad determinatos actus, & in tempore intrinseca præmotione inhærente ipsi arbitrio premoueri ad exercitium actuum ab æterno prædefinitorum.

Aduerte, quòd vt patet ex Scoto in 2. dist.37. parũ supra lit. Q. in peccato mortali concurrunt duo actus, scilicet positiuus vt materiale, & priuatio iustitię debitæ vt formale; & in eodẽ loco parum supra lit. C. exponẽdo quãdam auctoritatem Diui Augustini dicit: *Iste actus positiuus volendi creaturam; non est formaliter peccatum; sed carentia debiti ordinis in actu illo, à quo ordine deficit voluntas creata quiescens in bono creato, iste defectus est formaliter peccatum &c.* Ex quibus verbis non obscurè colligitur, quòd ratio formalis peccati consistit in defectu & in priuatione; quod ipse probat in precitato loco in principio solutionis

nis

nis illarum quæstionum, vbi habet hæc verba: *Tamen quòd peccatum sit formaliter priuatio boni ostenditur per auctoritates adductas in oppositũ, & per rationem talem; quia agens inferius tenetur in agẽdo conformare se agenti superiori, quia si in potestate eius sit, se conformare illi et non cõformare, nõ cõformari illi est peccatum.* Ideò *loquendo de peccato siuè cõtra legem Diuinam, siuè contra legem humanam aliquid dicitur peccatum, quia peccans potuit concordari legi superioris àgentis, & discordauit: iste igitur actus qui est in potestate discordantis, & per hoc voluntarium est formaliter peccatum, quia si ille esset concors regulæ superioris, non esset peccatum; ergo in illo actu præcisa ratio peccati est priuatio illius concordiæ &c.* Et infrà sub lit. B. dicit: *Quòd peccatum est corruptio rectitudinis in actu secundo &c.* Et parùm infrà subiungit: *Voluntas enim libera debitrix est, vt omnem actum suum eliciat conformiter regulæ superiori, scilicet secundum Diuinum præceptum; & ideò quando agit discorditer ab illa, caret iustitia actuali debita, hæc est iustitia quæ deberet inesse actui, & non inest: Et hæc carentia in quantùm est actus voluntatis deficientis, sicuti dicetur in alia solutione; est formaliter peccatum actuale &c.* Et paulò inferiùs sub lit. G. dicit; *Cum istis auctoritatibus consonat ratio, quia omne peccatum est iniustitia formaliter, & tale peccatũ talis iustitia, & per consequens priuatio iustitiæ; ergo peccatum actuale est formaliter iustitia actualis, ergo & priuatio iustitiæ actualis, scilicet iustitiæ quæ deberet esse in actu &c.* Ex quibus omnibus Sole clariùs patet rationem formalem peccati consistere in priuatione, in ca-

carentia, in discordia & cætera id genus, vt potest colligi ex mille alijs locis in doctrina Scoti.

Nota, quòd vt videre est ex Scoto in 2.dist.42.sub lit. A. malitia primò & formaliter non est nisi in aliquo actu voluntatis; secundariò autem & materialiter potest esse in actibus aliarum potētiarum, vt ipse per extensū probat ibi. Igitur nunc vidēdum est, quomodò primo & formaliter malitia, seù carentia rectitudinis sit in actu voluntatis; quomodò autem eiusmodi carentia sit in actibus aliarū potentiarū non est iurandum, quia omne peccatum originatiuè primò & formaliter est ab ipsa voluntate deficiente. Pro quo notandum est, vt patet ex Scoto in 2.dist.37.sub lit. T.quòd ad velle voluntatis createę concurrunt duæ voluntates, scilicet voluntas creata & Diuina, & potest esse defectus in ipso velle voluntatis creatæ & defectu alterius causæ, scilicet ex defectu eiusdem voluntatis creatæ,ex eo quòd voluntas creata non dat rectitudinem actui,quam tenetur dare.

Monendum est etiā,quòd Deus tribuendo homini voluntatem liberā voluit volūtate antecedēti omnes actus, qui sunt in potestate voluntatis esse moraliter bonos,& idipsum etiam vellet voluntate consequenti, nisi adesset impedimentum ex parte voluntatis creatæ: *Vniuersaliter enim Deus quidquid dat voluntate antecedenti, daret etiam consequenter, nisi impedimentum adesset; voluntas ergo creata eliciendo actum suum non conformiter regulæ superiori, idest voluntati Dei antecedenti, deficit à conformitate, à concordia, & ab ordine sibi præfixo, & sic defi-*

cien-

ciendo non dat rectitudinem actui, quam tenetur dare, & quæ ex ordinatione Diuina deberet inesse actui, & consequenter peccat. Est igiur defectus in effectu duarũ causarũ nõ propter defectũ causæ superioris, sed inferioris; nõ quia causa superior causet rectitudinem in effectum, & inferior obliquitatem: sed quia causa inferior (quãtùm est de se) causaret, si causa inferior secundam quam causalitatem causaret, & ideò rectitudinem non causari est propter hoc; quia causa secunda, quantùm ad se pertinet non causat &c. Hæc Scotus ibidẽ, & parum infrà: *Sed quòd effectus non rectus causetur, hoc non est tunc propter causam priorem, quæ quãtum est ex se, rectè causaret, si secunda causaret; sed propter defectum causæ secundæ, quæ in potestate sua habet concausare causæ primæ vel non concausare: & si non concausat illi, vt tenetur, non est rectitudo in effectu communi ambarum &c.*

Hinc colligitur, quòd voluntas in deficiendo est totalis & prima ratio, & si dicatur; quòd ex eo quòd Deus non dat rectitudinem actui, quia voluntas non dat, dicatur quòd etiam ipse deficiat. Respõdeo, quòd Deus (quãtum est ex parte sui) nunquã deficit, quia Deus antecedenter voluit, & dedit omnia opera bona, nisi adesset impedimentum; & vniuersaliter quidquid Deus vult antecedenter, vult etiam consequenter, & licèt ex hoc quòd voluntas creata non dat rectitudinem actui, nec ipse dat: non tamen propterea ipse dicitur deficere, primò quia nulla lege tenetur dare talem rectitudinem; secundò quia Deus non dando rectitudinem actui non propriè dicitur causa defecti-

ua,

ua, sed potiùs dicititur causa negatiuè se habens, idest non tribuens rectitudinem actui: & hoc non primo, sed quasi secundario; ex eo quòd volũtas creata deficit ab eo, quod tenebatur efficere.

DIFFICVLTAS

VNdè sit verò, quòd voluntas deficiat, non satis videtur constare inter Doctores: alij enim dicunt, quòd causa talis defectus sit negatio auxilij efficacis; alij autem dicunt, quòd sit ipsa voluutas ex sua intrinseca ratione, & hæc videtur esse opinio Scoti in 2. dist. 37. sub lit. Q. vbi dicit: *Quòd voluntas potest considerari dupliciter, vno modo vt voluntas absolutè & in communi, & sic voluntas est perfectio simpliciter, & ponitur formaliter in Deo et voluntas sub ista ratione nòn est proxima causa respectu peccati; quia tunc quodlibet inferius sub ipsa haberet talem rationem causalitatis, et ità etiam voluntas Diuina, quod est falsum. Alio modo sumitur cõtrariè per differentiam aliquam ad voluntatem creatam, quam differentiam circumloquimur per hoc, quod est limitatum vel defectibile, vel ex nihilo, et voluntas vt sic est proxima causa defectiua.* Vndè prima causa deficiendi in voluntate creata videtur esse de mente Scoti, hoc scilicet quòd voluntas creata est limitata, est ex nihilo, & consequenter reducit causam deficiendi ad aliquid intrinsecum ipsi voluntati; non autem ad aliquod extrinsecum ipsi, nempè ad negationem auxilij efficacis, seu doni perseuerãtiæ.

Quod antem hæc sit intẽtio Scoti, confirmatur ex eo, quòd ipse habet in præcitato loco sub lit. V. vbi quærens

rens

rens, quare Deus non possit esse ratio deficiendi, respondet: *Quòd ex eo Deus non potest esse ratio deficiendi, quia non potest mutari, & consequẽter nec formaliter nec virtualiter auerti à se; in qua auersione consistit præcipua, & formalis ratio defectus, & peccati.* Si igitur ideò Deus non potest deficere, quia non potest mutari; ergo ideò voluntas creata potest deficere, quia potest mutari: & si quæratur quare voluntas creata potest mutari, respondeo quia est eius limitatũ, & est ex nihilo; ergo intẽtio Scoti est, quòd causa pręcisa, quare voluntas creata deficiat, est reducenda ad aliquod sibi intrinsecum, non autem ad aliquod extrinsecum, scilicet ad negationẽ auxilij efficacis, & doni perseuerantiæ. Nota quòd voluntas nostra ex eo quòd est limitata, & ex nihilo dicitur potens deficere, & ex negatione efficacis auxilij dicitur actualiter deficere; & hæc est intentio Scoti.

Sed oppositum huius videtur docere Scotus ipse in primo dist. 41. quæst. vnica sub lit. B. vbi assignans rationem, quare Iudas offertur voluntati Diuiuæ, finaliter peccatum dicit; quòd est ex duabus negationibus positis, scilicet quòd non vult sibi dare gratiam neque gloriã, ergo de mente Scoti negatio gratiæ & glorię est præcisa causa, quare homo deficiat, & sic finaliter impœnitens; ergo de mẽte Scoti causa defectus reducenda est ad aliquod extrinsecum, scilicet ad negationem gratię & glorię, non autem ad aliquod extrinsecum, nempè ad limitationem naturæ.

Notandum est, quòd voluntas ex libertate sua absq; passione in appetitu sensitiuo,

uo, cui nata est condelectari; & absquè errore in ratione peccare, & tunc sic peccãdo in ea est plenissima ratio peccati, quia nihil aliud est a voluntate afficiens eam ad malum: sed ex pura libertate sine alia occasione extrinseca eligit sibi malum velle; & hoc est quod dicit Augustinus lib. 2. de peccatorũ meritis & remissione, vbi habet hæc verba, scilicet: *Quò circà quòd à Deo nos auertimus, nostrum est; quòd verò ad Deum nos conuertimus nisi ipso excitante, atquè adiuuante non possumus &c.* Et in lib. de gestis Pelagij cap. 3. id clariùs asserit: *Manifestum est, quòd si ad ignem manum mittit, & malum ac mors ei placet, id voluntas hominis operatur; si autem bonũ & si vitam diligit, non solùm voluntas id agit, sed diuinitùs adiuuatur: sufficit enim sibi oculus ad non videndum, hoc est ad tenebras; ad videndum verò lumine suo non sibi sufficit, nisi illi extrinsecùs adiutorium clari luminis præferatur &c.* Id etiã confirmat S. Prosper in epistola ad Augustinũ, scilicet: *De sua habens mobilitate, si deficit de gratiæ opitulatione, si proficit &c.* Et Cõcilium Arauf. cap. 13. apertè docet hoc ipsum, dicendo: *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei; quando id agunt, quod Deo displicet &c.* Ex quibus omnibus nõ obscurè colligitur malum vsum liberi arbitrij debere referri & refundi in ipsum, vt in causam totalem; & bonum vsum eiusdem arbitrij in Deum tanquàm in primũ Auctorem, & motorem deberi referri. Potest etiã hinc colligi, quòd voluntas creata adeò libera est in deficiendo & adeò habet in sua potestate; vt deficiat ex eo, quòd sola & prima causa est in deficien-

ficiendo, quòd nisi præuenta sit ab auxilio efficacis gratiæ, seu à dono perseuerantię, poterit de facto (quando sibi placuerit) deficere à conformitate ad regulam superiorem.

Considera ex Scoto in 2. dist. 44. quæst. vltima sub lit. A. quòd potentia peccādi vel dicit immediatum ordinem ad actum peccandi, vel dicit ipsum fundamentū huius ordinis, ratione cuius hadens illud dicitur potens peccare, si primo modo; vel potentia dicit ordinem immediatū ad actum substractum deformitati, aut ad illam deformitatem, quæ est in actu. Potentia primo modo considerata, scilicet vt dicit immediatum ordinem ad actum substractum deformitati, est à Deo, sicuti & vterquè extremum; idest sicuti fundamentum illius ordinis & terminus eiusdem, nimirū potētia ipsa & actus, ad quē potentia dicit ordinem, sunt ab ipso Deo, cùm omne positiuum sit ab ipso Deo tanquàm à causa principaliori, sic etiā ordo ipse est ab ipsomet Deo. Si secūdo modo accipiatur potentia, vt dicit ordinem ad deformitatem, quæ est in actu, tùm talis potentia non est à Deo: quia cùm terminus, ad quē est talis ordo, sit ens priuatiuum, & consequenter nihil sit pro formali, etiā ipsemet ordo nihil, & cōsequenter non potest esse à Deo: si autē potētia sumatur pro fūdamēto ordinis vtroq; modo sumpti, tunc potentia est aliquod positiuum, & hoc modo potentia peccandi est à Deo, hoc est illa natura, qua habens est potens peccare; potens quidem non efficiendo, sed deficiendo, cuius tamen deficeret istud positiuum, est proxima ra-

tio, est à Deo: sicut enim in potentijs passiuis seu receptiuis, idem est proximum subiectum babitus & priuationis; ità potentia actiua libera defectibilis est agẽdo, & deficiendo immediatum subiectum oppositorum, agendo quidem rectitudinis: deficiendo autem peccati & istud absolutum est propria potentia respectu vtriusquè eo modo, quo potentia potest esse respectu eorum scilicet effectiuè, & defectiuè,

Aduerte, quòd actus peccaminosi sunt in duplici differentia, quidam sunt boni ex obiecto seu ex genere, vel saltem vt sic, non sunt moraliter mali; habent tamen malitiam & deformitatem adiunctam ex aliqua circum stantia mala, & si quis det eleemosynam propter vanã gloriam, eiusmodi actus licèt ex obiecto & ex genere sit bonus, quia dare eleemosynam pauperi est actus bonus ex obiecto, quia transit super obiectum conueniens: fit tamen malus ex circumstantia mala adhibita, nempè ex vana gloria. Quidam verò sunt intrinsecè mali ex obiecto, vt à creata voluntate fieri non possint absquè peccato, si liberè producantur; huiusmodi sunt actus blasphemiæ, odij Dei, mendacium & alij consimiles actus, qui habent intrinsecè annexam malitiam moralẽ. Sed hìc notandum est, quòd quando dicimus aliquem actum peccaminosum habere intrinsecè annexam moralẽ malitiam, non ita debet intelligi: quasi verò malitia moralis conueniat eiusmodi actui peccaminoso in primo vel secundo modo dicendi per se; quia si sic esset, nullo pacto posset saluari, Deũ non esse Auctorem peccati: sed debet intelligi, quòd mali-

malitia moralis ſic eſt alicui actui peccaminoſo intrinſecè annexa, quòd nullo pacto fieri poteſt, quin ipſum naturaliter conſequatur malitia moralis, ſicuti quantitas à Deo eſt intrinſecè annexa corpori; vt nullo pacto communiter loquendo fieri poſſit, corpus non eſſe quãtùm: & tamen hoc non obſtante ipſa quantitas non conuenit corpori in primo, vel ſecundo modo dicendi per ſe, & conſequẽter diſtinguitur realiter ab ipſo corpore, ſic etiam dicatur de malitia intrinſeca actus. Ex hoc poteſt peroptimè ſaluari, Deũ non eſſe Auctorem peccati; quia licèt Deus præmoueat volũtatem ad actum ſubſtratum peccato; tamen quia peccatum pro formali, ſeu deformitas illa intrinſecè annexa actui, poteſt ipſe actus eſſe à Deo ſimul & à voluntate, deformitas autem ſolùm à voluntate. Nec ex eo quòd præmouet noſtram voluntatem ad materiale peccati. Deus dicitur Auctor peccati: quia Deus non ſub ea ratione præmouet volũtatem ad materiale peccati, quaſi impellendo voluntatẽ ad peccandum: ſed ſolùm pręmouet ſub ea ratione, qua ab æterno ex charitate omnia præordinauit ad ſeipſum tãquàm ad vltimum finem.

Monendum eſt, quòd ſi ex eo quòd Deus phyſicè præmouet voluntatem creatam ad actũ peccaminoſum, cui eſt intrinſecè ãnexa malitia moralis, dicitur eſſe Auctor peccati; ergo etiam dicitur eſſe Auctor peccati: immò multò magis ex eo quòd auxilio ſimultaneo cõcurrit effectiuè ad entitatem peccati, vt actus eſt. Conſequentia probatur, nam malitia moralis, & deformitas peccati non eſt minùs anne-

xa actui odij Dei in exercitio, ideſt non eſt minùs annexa actui ex eo, quòd voluntas exercet talem actum, quàm ex eo quòd voluntas applicatur ad talem actum; ergo ſi Deus ſimul cum voluntate immediatè producit effectiuè actum odij Dei, in quantùm actus eſt, abſquè eo quòd concurrat ad eius deformitatem, etiam poterit prædeterminare & pręmouere voluntatē phiſicè & efficienter ad eũdem actum, in quantum actus eſt, abſquè eo quòd illam prædeterminet & præmoueat ad peccatũ, vel cõcurrat ad malitiam moralem, quę conſequenter talē actũ producit, vt eſt à volũtate deficiente. Probatur iterùm conſequentia, quòd ex eo quòd Deus concurſu ſimultaneo effectiuè producit cum voluntate actum, cui ãnexa eſt deformitas, magìs ſequatur Deum eſſe Auctorē peccati, quàm ex eo quòd præmoueat voluntatem ad materiale peccati; quia concurſu ſimultaneo immediatiùs Deus attingit materiale peccati, quàm per motionē præuiam: ergo ſi ex oppoſita ſententia Deus non eſt Auctor peccati, ex eo quòd influxu ſimultaneo effectiuè producit ſimul cum voluntate materiale peccati, non attingendo deformitatem actus peccaminoſi; ergo multò magìs nõ erit Auctor peccati, ex eo quòd præmouet volũtatē ad materiale peccati, quia ex hac præmotione minùs attingit deformitatem actus peccaminoſi. Nec valet dicere, quia influxus Diuinus in cauſas ſecũdas ſit indifferens, & conſequenter volũtas ad libitum ſuum poterit, vel benè vti illo vel abuti: nam in alia Propoſitione oſtenſum eſt eiuſmodi influxum non poſ-

ſe

ſe eſſe indifferentem.

Nota etiam ex Scoto in 2. diſt. 5. quæſt. 2. per totum, quòd Angelus in primo inſtanti ſuæ creationis potuit eſſe miſer nõ ſolùm miſeria pœnæ, ſed etiam miſeria culpæ; ideſt potuit liberè peccare in primo inſtanti ſuę creationis, quia in eo inſtãti habuit potentiam volitiuam perfectam naturaliter præcedentem actum ſecundum, & tamen hoc non obſtante peccatum nullo pacto refunditur in Deum, vt patet ex Auguſtino 11. de Ciuit. Dei cap. 13. vbi dicit: *Qui sẽtiũt malũ Angelũ peccaſſe à principio, hoc eſt quòd ſemper fuerit ſub peccato; non ex hoc cum Manichæis ſentiũt ponẽtibus vnum Deum malũ, & ità non eſſet Deus Auctor illius mali &c.* Si igitur Deus nõ eſt Auctor peccati illius, qui peccaret in primo inſtãti ſuæ creationis; ergo etiam Deus nõ eſt Auctor peccati ex eo, quòd præmouet voluntatem ad materiale peccati. Conſequentia patet, quia magìs videtur; quòd Deus ſit Auctor effectus coęui cauſæ, quàm effectus nõ coæui: non enim peccatum ad cuius matariale præmouetur voluntas à Deo, & ſic neceſſariò præmotioni, ſicuti eſſet coæuum peccatum mali Angeli ipſi Angelo, ſi peccaſſet à principio ſuæ creationis.

Aduerte, quòd omnes auctoritates ſacrę Scripturæ, quibus affirmari videtur Deum non eſſe Auctorem peccati, nihil aliud probant; niſi quòd Deus non prædeterminat, & præmouet voluntatem creatam ad peccatum pro formali, ſeu ad peccatum vt eſt deformitas & carentia rectitudinis debitæ ineſſe actui: & probant etiã, quòd Deus non neceſſitat

no-

nostram voluntatem impellendo eam ad peccatum, sicut dicebant hæretici; non tamen probant, quòd Deus non prædeterminet & præmoueat volũtatem creatam ad entitatẽ positiuam actus peccati, seu ad materiale & ad actum substratum peccato: qui actus substratus cùm sit quædam entitas & perfectio positiua, de necessitate debet reduci in Deum, tanquã in primum Auctorem cuiuscunquè entitatis & perfectionis. Nec est simile de Deo, & de Diabolo: Deus enim solũ cõcursu generali pręmouet voluntatẽ ad materiale peccati tantùm; Diabolus verò hominem tentando moraliter inclinat illũ ad formale peccati, suadendo scilicet ipsum peccatum: suadet enim actum, vt est contra Deum, & vt habet rationem culpæ; quia quidquid operatur Diabolus vel formaliter, vel virtualiter refert in malũ finem: sed Deus generali concursu mouet solùm verè efficienter ad actũ, positiuum peccati. Hinc est, quòd Deus non necessitat eius voluntatem, nec præmouet illam ad malum, seu ad formale peccati.

Considera, quòd Deus dispari ratione dicitur trahere hominem ad Christum, & præmouere eius volũtatem ad materiale peccati: nam trahẽdo hominem ad Christum non solùm concursu generali præmouet eius voluntatem; sed etiam speciali quadam ratione dicitur trahere illum ad Christum auxilio supernaturali operãdo in ipso velle, & perficere actus supernaturales: & hoc non solum verè efficienter ex parte potẽtiæ phisicè pręmouendo illam; sed etiam moraliter ex parte obiecti illuminando & illustrando intel-

tel-

tellectum & excitando voluntatem proponendo sibi vel premium vitę ęternę, vel timorem gehennæ: sed pręmouendo voluntatem ad actum peccati, solùm generali influxu mouet illam ad materiale, & ad actum substratum peccato. Propterea per specialem auxilium efficax Deus non solùm influit voluntati ipsum agere, sed etiam benè agere, & supernaturaliter agere; per cōcursum autem generalē influit voluntati agere actum peccati, non autem tribuit ei malè agere, seu deficienter agere.

Monendum est, quòd quando homo in graui tentatione libidinis constitutus consentit peccato, licèt ad eiusmodi consensum, vt actus est, pręmoueatur à Deo; tamen nullo modo potest excusari, aut de Deo iustè cōqueri, & ratio est quia in eo instanti, in quo à Deo præmouetur eius volūtas ad materiale peccati, potest absolutè & in sensu diuiso loquēdo non consentire, & consentiendo liberè consentit: Ex quo sibi, & non Deo debet imputare peccatum, seù malitiam moralem, quæ ad ad illum actum consequitur ex voluntate creata deficiente, & non tribuente rectitudinē, quam teneretur tribuere actui.

Notandum est etiā, quòd illud Oseæ; scilicet: *Perditio tua ex te Israel, in me tantùm auxilium tuum &c.* Nō debet intelligi, quòd in Deo sit auxilium nostrum solùm in ordine ad operationes moraliter bonas: sed debet intelligi, quòd est in Deo auxilium nostrum in ordine ad operationes etiam moraliter malas; sed in ordine ad illas pro materiali tantùm, non autem pro formali.

Ad locum ex cap. 9. ad Rom. respondeo, quòd de reprobis, seu de vasis iræ solùm dicit Apostolus, quòd Deus sustinuerit, non autem quòd præparauerit ea; quoniã non præparauit, nec prędeterminauit ad malum, siuè ad formale peccati: cùm hoc tamen stat, quòd prædeterminauerit ea ad materiale peccati.

Considera, quòd quando Concilia dicunt Deum non operari peccata, sed ea operari esse refundendum solũ in voluntatem creatam deficientem, debet intelligi; quòd Concilia loquuntur de actibus malis formaliter, seù de peccatis pro formali, non autem pro materiali: peccata enim pro formali, quia dicunt carentiam rectitudinis, & conformitatis ad regulam superiorem, sunt quæ Deo displicent, non autem in quantùm essentia sunt; quia vt sic dicunt perfectionem, saltem entitatiuã, nam omne ens in quantum ens bonum est, & consequẽter sub hac ratione Deo displicere non potest, aut odio haberi. Vndè in qualibet actione, vt actio est, qui primò inchoat mouẽdo potentiam, est Deus; aliter autem voluntas creata esset simpliciter prima causæ suæ actionis, si eius causalitas non reduceretur in aliud agens superius: & consequenter saltem in operando essent duo prima principia; quod est hęresis Manichęorum: Si verò loquemur de ipso peccato pro formali, referendum est in solam voluntatem creatã, quæ ex natura sua defectibilis est; quia ex nihilo est.

Aduerte, quòd differentia, quam Concilium Tridentinum constituit inter opera bona, & mala respectu operationis Diuinæ, idest

in

in quantùm vtraquè suo modo sunt ab ipso Deo, in eo consistit; scilicet quòd Deus in nobis atquè nobiscum operatur, vt operemur bona opera, non solùm in quantùm actus & entia sunt, & etiam in quantũ bona. Mala autem opera operatur Deus in nobis atquè nobiscum, solùm in quantũ actus & entia sunt; non autem in quantum mala sunt. Et hæc expositio clarissimè colligitur ex eodem Cõcilio sess.6.can.6.vbi anathematizat eos, qui asserunt Deũ operari mala; ita vt bona &c. ergo intentio Concilij est docere Deũ operari mala, ità vt idest non eodem modo, quo bona: bona enim(vt dictum est)operatur in nobis, atquè nobiscum, & vt etiam sunt, & vt bona sunt; mala autem operatur in nobis atq; nobiscum, solùm vt etiam sunt, & ità etiam operatur mala, vt etiã non operetur ea in ordine ad malum.

Monendum est, quòd licèt hæretici nostri temporis, contra quos loquitur Conciliũ in præcitato loco nunquã dixerunt Deum esse Auctorem ad causam peccati, vt peccatũ est pro formali: sed potiùs expressis verbis retulerunt illud sub tali ratione solũ in voluntatẽ creatã; tamen id quod ore confitebãtur, corde negabant,& verbis ambiguis suam malitiã obtegebant :nam reuerà sẽtierunt Deũ esse Auctorem peccati pro formali, sic etiã Pelagius, vt habetur ex Diuo Augustino,verbis quidẽ negabat;quòd gratia daretur secundum nostra merita : & tamẽ in rei veritate id sẽper tenuit,& sensit;sic etiam Lutherani verbis asserebant peccata pro formali non referri in Deum,sed in volun-

tatem creatam, vt offensionem verbi euitarent: sed in rei veritate sentiebant Deũ esse Auctorẽ peccati & caussam, quare homo peccaret.

Et quòd hæc erat eorum germana sententia patet ex eo, quòd ipsi asserebant scilicet Deum producere in nobis opera mala, sicut & bona voluntate creata merè passiuè se habente; ità Lutherus. Caluinus autẽ & eius sequaces dixerũt hominem necessitari à Deo ad peccãdum, vel à Diuina prouidentia seu prædeterminatione, quàmuis dicerent hominem spontaneè peccare: eo quòd voluntate sua concurrebat actiuè ad peccatũ, non tamen liberè. Asserebãt etiam Deum nõ solùm esse veram causam efficientem, sed etiã moralẽ peccati, seu quòd homo, vel Angelus eccaret: si igitur hæretici illi, contra quos Concilium definit, asserebant Deum esse eodem pacto Auctorem malorum sicuti bonorum operum, & quòd voluntas nostra merè passiuè se habet in ordine ad illa; & asserebant Deum necessitare hominem ad peccandum, & esse non solùm verã efficiẽtem, sed etiam causam moralem, quare homo vel Angelus peccat: quomodò potest saluari eos non facere Deũ Auctorẽ malorũ operũ etiam pro formali? Parùm igitur interest, quòd ex vno capite dicebant mala opera pro formali non esse refundenda in Deum, sed in voluntatem creatam; si ex alio capite pessimè confitebãtur prædictas blasphemias, & pestilentias. Non ergo sacrum Tridentinum Concilium nihil contra eos conconcludit, quia (vt patet) satis efficaciter contra eos cõclu-

cludit; vtinam nunquàm necessum fuisset aliquid cõtra eos concludere.

Nota, quòd licet malum sub ratione mali non possit appeti à nostra voluntate; tamen vel apetitur sub ratione boni apparentis, vel appetitur in ordine ad consequendum aliquod bonum. Posset etiam negari voluntatem non posse appetere malum sub ratione mali, vt patet ex Scoto pluribus in locis; sed præcipuè in 2. dist. 43. quest. 2. licèt problematicè id teneat ibi, sed magìs declinat ad partem affirmatiuam.

Considera, quòd omnes auctoritates SS. Patrum, quæ negant Deum esse Auctorẽ peccati, debẽt intelligi; quòd loquuntur de peccato, vt deformitas & carentia est rectitudinis.

Aduertendum est, quòd voluntas nostra non mouet se in ordine ad bonum vniuersale, & hoc de mente D. Thomæ: sed mouetur à Deo, in ordine autem ad bonum particulare, & mouetur à Deo, & se mouet; sed si bonum particulare est bonum apparens, tunc voluntas mouetur à Deo influentia generali solùm ad actum pro mateteriali: si autem bonũ particulare fuerit supernaturale, tunc voluntas mouetur à Deo speciali influxu Diuinę gratiæ.

Moneo, quòd nullum sequitur inconueniens ex eo, quòd Deus præmouet nostram voluntatem ad materiale peccati: nam deformitas seu formale peccati insequitur ad actionem pro materlali vt sic, sed sequitur ad illam actionem ex eo, quòd dicit beatitudinem ad causã deficientem.

Notãdum est, quòd licèt Deus sit prima radix, & causa

ſa, quare homo hìc & nunc cum tali aduertẽtia rationis habeat volitionẽ circa obie-ctum cõtrarium rectę ratio-ni, in quantum volitio talis eſt actio pro materiali; non tamen eſt cauſa, quòd homo deficienter velit illud obie-ctum, ſed eiuſmodi deficiẽ-tia ſolùm referẽda eſt in vo-luntatem creatam: homo enim non peccat, quia præ-cisè vult illud obiectum, ſed peccat, quia deficienter vult; Deus autem eſt cauſa volũ-tatis, vt agat, ſed non vt ef-ficienter agat, quia Deus nec formaliter, nec virtuali-ter poteſt ſeipſo auerti: & hinc eſt, quòd Deus nunquã præuoluit aut præordinauit, vt Iudas venderet Chriſtum abſolutè loquendo, ſed ſolũ cum addito; conſiderando videlicet illam actionem ſub ratione entitatis poſitiuæ, quam habuit, & ideò Iudas voluit illam ſub eadem ra-tione, quia Deus voluit il-lã: nec tamen propter hoc ef-ficitur Deus Auctor pecca-ti, quia malitia moralis non ſequitur ad illam actionem, vt ens eſt poſitiuum; ſed ſe-quitur ad cauſam deficien-tem.

Conſidera, quòd licèt Deus permittat peccatũ pro formali, ſeù malitiam mo-ralem; actus tamen ad hoc vt infallibiliter ſciat omnes actus peccaminoſos, & ſe-cundum omnes eorum cir-cumſtantias oportet, vt in-tueatur decretum poſitiuum ſuæ voluntatis, quo præde-terminauit creatam volun-tatem ad materiale peccati, & ad omnes eius circumſtã-tias, ſecundum quòd tales circumſtantiæ habent ratio-nem entis, non autem ſecũ-dum quod habent adiunctã malitiam moralem. Vndè ad hoc, quòd Deus certò & infallibiliter ſciat omnes a-

ctus

ctus peccaminosos, necessũ est, & quòd prædeterminet positiuas entitates illorum, & permittat malitias morales eorum.

Moneo, quòd ille (qui mentitur) habet aliquod actuale auxilium Dei, quod non habet alius, qui non mentitur: nam ad hoc vt aliquis mentiatur de facto, necessum est, vt præmoueatur à Deo ad actum substratum mendacio, vt dicit carentiam rectitudinis; nec ex hoc sequitur aliquod inconueniens, si concedatur quòd producens actum mentiendi (in quãtùm actus est) discernatur à Deo per auxilium actuale à non producente talem actum in quãtùm actus est: nam in quantùm peccatum est sua culpa, vel malitia, se discernit peccans ab eo, qui non peccat.

Aduerte, quòd Deus voluntate antecedente, quæ solùm est voluntas signi ab æterno, quòd nullus peccaret: cum hac tamen voluntate stat simul in Deo voluntas efficax, quia prædeterminauit, vt aliqui producerent actum peccati, in quãtùm est ens positiuum; etenim istæ duæ voluntates non sunt repugnantes, sed potiùs consonant inter se, sicut hæ duo non repugnant, quòd scilicet Iudex velit hominem viuere, in quantùm homo est, & eum occidere, in quãtùm malefactor est.

Nota, quòd licèt motio phisica semper præsupponat motionem moralem, ex qua fit obiectum præcognitum voluntati; tamen non oportet, quòd motio moralis sit ab eodem agente, à quo est motio phisica; & hinc est, quòd Deus potest phisicè mouere nostram volũtatem ad materiale peccati, & tamẽ Diabolus mouet moraliter illam

illã ad formale peccati, suadendo & consulendo illũ actum: sed nõ potest mouere illum efficienter; vndè nõ oportet, quòd Deus ex hoc, quòd phisicè mouet nostram voluntatẽ ad materiale peccati, mouet etiã ad deformitatem, quæ ex voluntate deficientẽ consequitur actum.

Aduerte, quòd prædeterminare & præmouere volũtatem hominis ad materiale peccati, pertinet ad misericordiam Dei, quatenùs per illam motionem reducit potentiam de actu primo ad actum secundum, & eam liberat à quodam defectu, qui est carere actu secundo, & esse in potentia ad illũ: omne enim quod est in potẽtia vt sic, importat quandã imperfectionem, vt per hoc recedat à perfectione Dei, qui est primus actus, & similiter prædeterminatio ac præmotio voluntatis ad materiale peccati pertinet ad iustitiam Dei, quatenùs Deus ex tali præmotione operatur secundum modum conuenientem sapientiæ suæ, & secundum modum & exigẽtiam creaturæ rationalis, qui modus consistit in libertate: & hoc si præmotio Diuina voluntatis nostræ sit ad materiale primi peccati; si autẽ sit ad materiale sequentium peccatorũ, iã patet, quòd talis prẹmotio principaliter reducitur ad iustitiã, ex eo quòd volũtas nostra præmouetur ad materiale peccati in pœnam præcedentis peccati.

Moneo, quòd licèt Deus possit præbere nobis auxiliũ actuale ad materiale peccati, non tamen potest tribuere nobis habitum vitiosum; quia habitus vitiosus inclinat ad malè operandũ. Hinc est, quòd non valet consequentia: Deus non potest tribuere nobis habitum vitio-

tioſum; ergo nec auxilium actuale ad materiale peccati.

Conſidera, quòd Deus multipliciter dicitur indurare & excæcare peccatores; primò negatiuè, ſcilicet non emolliēdo cor peccatorum, nec illuminando eorum intellectum: ſecundò poſitiuè, ſed indirectè, quia videlicet tanquàm Iudex iuſtus vtitur miniſterio Diaboli ad puniēdum ipſos reprobos pœna excæcationis & indurationis. Tertiò poſitiuè occaſionaliter, quatenùs ſcilicet Deus proponit ipſis peccatoribus aliqua, quæ ſecundū ſe ſunt inductiua ad bonum; tamen ipſi ſua malitia in malum proprium ea conuertunt.

Notandum eſt, quòd ſicut peccatum originale non ſequitur ad generationem hominis ſecundum ſuam naturam, vt generatio hominis eſt; ſed ſequitur (vt dicit) ordinem ad primum Parentem, qui voluntariè peccauit. Etenim ſi perſeueraſſet Adam in ſtatu innocentiæ, tunc fuiſſet vera generatio hominis, abſq; eo quòd conſequeretur eam peccatū originale, & ita peccatum originale non eſt à Deo cōcurrente ad generationem hominis promouente ad illam: ſed à primo Parente, qui totam naturam humanam ſua inobedientia maculauit. Proportionaliter poteſt dici de peccato actuali, quòd deformitas peccati, ſeù malitia moralis non ſequitur intrinſecè, & ex natura rei ad actū blaſphemiæ, vel ad actū odij Dei, vt actus eſt & ens in genere naturæ, etiam in indiuiduo: ſed vt procedit à voluntate creata deficiente, vndè in voluntatem deficientē, & non in Deum debet refundi malitia moralis, & defectus peccati.

Aduerte, quòd Deus non solùm directè, sed neq; etiam indirectè est, aut esse potest causa, quòd homo peccet. Conclusio hæc est de fide, vt patet in mille locis sacræ Scripturæ, Conciliorum & SS. Patrum; potest etiā probari rationibus, primò quia omne peccatum est per recessum ab ordine, qui est in Deum sicut in finem; sed Deus non potest esse causa, quòd aliquis recedat ab huiusmodi ordine, cùm omnia inclinet & conuertat in seipsum sicut in vltimum finē: ergo impossibile est Deum esse directè causam quare aliquis peccet.

Secundò probatur, quia si Deus directè esset causa, quare homo peccaret; ergo etiam Deus peccaret. Consequens est falsum, ergo & antecedens: consequentia probatur, quia qui causam damni dat, damnum dedisse videtur; falsitas consequentis de fide tenenda est; sed probatur etiam ratione: nam vt patet ex Scoto in 2. dist. 37. sub lit. D. ratio formalis peccati consistit in auersione ab vltimo fine, & hoc vel formaliter, vel virtualiter & formaliter, vel positiuè, vel negatiuè; sed Deus nullo modo potest auerti à seipso; ergo Deus nullo modo potest peccare. Minor probatur, quia auerti formaliter contrariè ab vltimo fine nihil aliud est, nisi nolle illum finem; quod nolle est ordire illum finem; sed Deus summa necessitate diligit se ipsum summè ordinatè, & cum omnibus circumstātijs requisitis; aliter esset mutabiliter cōtrariè à seipso. Probatur minor quò ad secundā partem, quia auerti ab vltimo fine formaliter negatiuè, nihil aliud est nisi non velle illum finem, quòd non velle illum

illum finem est omissio Diuinæ volitionis illius finis: sed Deus ità necessariò necessitate immutabilitatis & ineuitabilitatis amat seipsũ, vt nullo pacto omittit, nec omittere potest volitionem suiipsius; ergo Deus non potest formaliter negatiuè auerti à seipso. Probatur minor quò ad tertiam partem, quia auerti virtualiter ab vltimo fine nihil aliud est, quã auerti ab aliquo, quod esset necessarium ad consequendum vltimum finem, seu ad volendum vltimum finẽ: sed nihil à Deo est sibi necessarium ad consequendũ, & volendum seipsum; ergo Deus non potest auerti virtualiter ab vltimo fine, ergo Deus nullo pacto potest peccare, ergo Deus nullo pacto potest esse directè causa, quare aliquis peccet.

Probatur tertiò, quòd etiã indirectè Deus non potest esse causa peccati, quia tunc aliquis est indirectè causa peccati alterius, quando potest & tenetur retrahere illũ à peccato, & non retrahit; sicut nauta tunc est indirectè causa submersionis nauis, quando potest & tenetur eam gubernare, & non gubernat: sed Deus quàmuis possit homines retrahere à peccato conferendo illis auxilium efficax ad vitanda peccata, quòd si præberet, vtiquè non peccarent; tamen non tenetur conferre huiusmodi auxilium, aut eos à peccato retrahere, quia secundum ordinem rectũ suæ Diuinæ prouidentiȩ quibusdam confert huiusmodi auxilium, quibusdam non: eo quòd ad perfectionem eiusdem prouidentiæ pertinet permittere, quòd causæ defectibiles aliquãdò deficiant; ergo Deus nec etiam indirectè est causa peccati.

Considera, quòd sicut Diuinum auxilium est causa efficax gratiæ & conuersionis in Deum, ità negatio auxilij efficacis est causa non conuersionis in Deum accipiendo non conuersionem, vt est pura negatio entis, ex qua negatione statim sequitur necessitate consequẽtiæ, quòd aliquis non conuertatur; & hoc modo dicitur Deus excæcare, & indurare peccatores, negando scilicet illius auxiliũ efficax ad conuersionem. Sed maximè aduertendum est, quòd quando dicimus Diuinum auxilium esse causam efficacem conuersionis in Deum, sicut negationem eiusdem auxilij esse causam non conuersionis in Deum, illa particula (sicut) non dicit omnimodã similitudinem, ac si diceretur Deum æquè Auctorem esse conuersionis & non cõuersionis: hic enim sensus falsus est, quia Concilium Tridẽtinum anathematizat eos, qui dixerint mala opera, ità vt bona Deum operari; sed per illam particulam (sicut) solũm significatur negationem auxilij efficacis esse causam nõ conuersionis, si consideretur pręcisè, vt est pura & simplex negatio actus non conuersionis, non quidem secundum causam essendi: quasi verò negatio auxilij efficacis sit causa non conuersionis Petri, seù quòd non conuersio Petri sequatur ad negationem auxilij efficacis sicut ad causam per se efficientem non conuersionem Petri; sed solùm secundum causam inferendi, seù consequentię: hęc enim consequentia illatiuè solùm est optima, Petrus non habet auxilium efficax; ergo Petrus non conuertetur, & notanter dixi illatiuè solùm, seù in inferendo eiusmodi.

Con-

Consequentia valet, nam in essendo tenet ex alio capite, quàm ex negatione auxilij efficacis: tenet enim vt sic in essendo ex voluntate Petri efficiente à regula superiori, nam benè valet in essendo & in inferendo hæc consequentia, Petrus deficit à regula superiori; ergo Petrus non conuertitur, quia deficiendo à regula superiori peccat.

Pro cuius clariori intelligentia notare libet, quòd(vt visum est suprà) Deus est primus Auctor ẽtitatis substratæ peccato, & permittit malitiam, seù deformitatem moralem eiusdem entitatis: & tamen hoc non obstante hęc consequentia non valet in essendo, Deus est primus Auctor entitatis substratæ peccato, & permittit deformitatem illius; ergo Deus est Auctor peccati, seù ergo ad concursum ad materiale peccati, & ad permissionem deformitatis peccati sequitur deformitas peccati. Consequentia probatur, quia (vt suprà visum est)malitia moralis actus non consequitur ad actum, vt actus est: sed consequenter ad actum ex eo, quòd dicit habitudinem ad voluntatem deficientem, vt etiam patet de peccato originali, quod non consequitur generationem humanam vt sic; sed ex eo quòd dicet habitudinem ad volũtatem primi Parentis, nec malitia moralis actus peccati consequitur ad actum ex permissione Diuina eiusdẽ deformitatis: nam Conciliũ Tridẽtinum confitetur Deũ permittere malitias morales peccatorum; & tamen negat Deum esse Auctorem illarum. Potest tamen hæc consequentia valere in inferendo tantùm, Deus influit in materiale peccati, & permittit

mittit formale eiusdem peccati; ergo infallibiliter Petrus peccabit: causa tamen in essendo peccati ipsius Petri non est reuocanda ad influxum Diuinum in materiale peccati ipsius Petri, nec in Diuinam permissionem malitiæ moralis eiusdẽ peccati; sed omninò & adęquatè reuocanda est in Petri voluntatem deficientem à superiori agente in operando.

Sic etiam negatio conuersionis in Deum ipsius Petri in essendo, non sequitur ex negatione auxilij efficacis; quasi verò hæc consequentia sit bona in essendo, Deus negat auxilium efficax Petro, ergo Petrus non conuertitur: eiusmodi tamen consequentia est bona in inferendo, Deus negat Petro auxilium efficax ad conuersionem; ergo Petrus non conuertitur. Hinc ergo est, quòd ratio formalis & causa adæquata non conuersionis Petri in Deum omninò reuocanda est ad voluntatem deficientem ipsius Petri: vndè hæc consequentia peroptima est in essendo & in inferendo; Petrus in operãdo deficit à regula superiori, ergo Petrus non cõuertitur.

Ex prædictis potest faciliter exponi illud, quòd habet Scotus in primo dist. 41. quæst. vnica sub lit. B. vbi habet hæc formalia verba: *Sed ex isto actu est istud verum, Iudas erit finaliter peccator positis illis negationibus; scilicet quòd non vult dari sibi gratiam, nec gloriam &c.* Non igitur debet inferri de mẽte Scoti, quòd impœnitentia Iudæ ità sequatur ex primo actu positiuo, quem Deus habet circa Iudam positis negationibus pręcedentibus; quasi verò ille primus actus positiuus cùm negationibus sit ratio formalis, & causa fina-

finalis impœnitentiæ ipſius Iudæ; ſed ſolùm debet inferri de mente Scoti, quòd hæc conſequentia eſt bona in inferendo ſolùm, Deus permiſit præcedentibus negationibus gratiæ, & gloriæ Iudam eſſe filium perditionis, ergo Iudas infallibiliter fuit finaliter impœnitens: formalis autem ratio, & adæquata cauſa in eſſendo finalis impœnitentiæ ipſius Iudæ omninò reuocanda eſt ad voluntatem Iudæ; quia in operando deficit à regula ſuperioris agentis.

Sed aliquis poſſet probare, quòd negatio auxilij efficacis eſt cauſa in eſſendo non conuerſionis, ſeù finalis impœnitentiæ Petri, tali pacto: collatio auxilij efficacis eſt cauſa in eſſendo, quia Petrus conuertatur; ergo negatio eiuſdem auxilij eſt etiam cauſa in eſſendo, quare Petrus non conuertatur. Antecedens eſt de fide, conſequentia probatur ex illa regula topica: ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, & negatio eſt cauſa negationis.

Reſpondeo negando cõſequẽtiam, ad probationem dicitur; quòd illa regula valet in cauſis præciſis, modò quòd Petrus conuertatur: cauſa præciſa eſt collatio auxilij efficacis, ſaltem collatio auxilij præoperantis gratiæ, nam voluntas noſtra reſpectu illius auxilij merè paſſiuè ſe habet; ſed negatio auxilij efficacis, nec eſt præciſa, nec partialis cauſa non conuerſionis Petri loquendo de cauſa in eſſendo: nam cauſa in eſſendo non conuerſionis Petri præcisè, & adæquatè eſt ipſemet Petrus deficiens ab ordine ſibi præfixo à ſuperiori agente; poteſt tamen dici negatio auxi-

xilij efficacis causa in inferendo non conuersionis Petri.

Nota quòd nõ est necesse; quòd si effectus aliquis est à tali causa, quòd etiam defectus eiusdem effectus sit ab eadem causa, quia etiam iuxta oppositam sententiam Deus est causa moralis nostræ conuersionis: & tamen Deus non est causa moralis nostræ non conuersionis, sed non conuersio nostra solùm refunditur in nostram voluntatẽ deficientem; ergo quòd alij confitẽtur de causa morali, nos verò confitemur de causa phisica.

Aduerte; quòd quando dicimus Petrum esse causa in essendo suæ non conuersionis in Deum, tunc non conuersio non solùm accipitur negatiuè, sed etiam priuatiuè & contrariè, idest vt non conuersio dicit carentiã & priuationem conuersionis, seù potiùs rectitudinis debitæ in esse. Ex quo sequitur, quòd duplex est differentia inter Deum, & Petrũ in ordine ad non conuersionem: prima quòd Deus solùm in inferẽdo dicitur causa non conuersionis Petri, accipiendo tamen illã negatiuè; secunda quia Petrus est causa & in essendo, & in inferendo suæ non conuersionis accipiẽdo illam negatiuè, & priuatiuè seu contrariè. Vndè in hac causali, ideò Petrus non conuertitur, quia non adiuuatur à Deo *ly*, quia vel dicit causam in essendo nõ conuersionis Petri; & sic est falsa, vel dicit causam in inferẽdo non cõuersionis Petri: accipiendo tamen illam negatiuè non autem contrariè; & sic est vera.

Hinc sequitur, quòd omnes loci sacræ Scripturæ, Cõci-

ciliorum & Sanctorum Patrum, in quibus dicitur Deũ excæcare & indurare peccatores, sunt exponendi tali pacto; scilicet quòd tradere in reprobum sensum, excæcare & indurare nihil est,quã Deum permittere vt homo peccator seipsum tradat in reprobum sensum, cæcus efficiatur,& induretur.

Ad auctoritatem Ioann. 10. quæ dicit. *Vos non creditis, quia non estis de ouibus meis &c.* Respondeo, quòd illa vox (quia)non importat veram causalitatem, sed infallibilem concomitantiam illationis, ac si diceretur: si non est datum à Deo alicui, vt credat, non credet; quia omne datum optimum &c.

Moneo, quòd inordinatio peccati non sequitur intrinsecè & formaliter ad actum peccati odij Dei, vt odium Dei est entitas positiua: sed sòlùm sequitur ad actum peccati, vt talis actus prouenit à causa deficiente; vndè actus peccati vt sic est ab ipso Deo, & à voluntate creata: sed actus peccati vt inordinatus & non cõformis regulæ superiori est solùm à voluntate deficiente. Sic etiam formaltier ad negationem auxilij efficacis non sequitur intrinsecè, & formaliter seu in essendo & in inferendo non conuersio Petri, accipiendo non conuersionem priuatiuè; idest vt dicit priuationem conuersionis, seu rectitudinis debitæ inesse actui conuersionis: sed non conuersio Petri accipiendo illam priuatiuè & pro formali, solùm sequitur ad voluntatem Petri deficientis, qui voluntariè non conuertitur, quando poterat & tenebatur ad Deũ conuerti.

Ad negationem autem auxilij efficacis, vt ad præci-

ſam, & adæquatam cauſam, ſequitur nón conuerſio Petri, ſimplex eſt & pura negatio.

Hoc pòteſt applicari meliùs tali pacto: nam quòd Petrus conuertatur de facto, ſeù actualis cõuerſionis Petri cauſa præciſa, & adæquata eſt auxilij efficacis collatio; ſic econtrà negatio auxilij efficacis eſt præciſa, & adæquata non conuerſionis Petri.

Sed notandum eſt, quòd collatio auxilij efficacis poteſt accipi dupliciter; vno modo pro auxilio gratiæ præoperantis, quò Deus facit vt faciamus & operemur: alio modo pro auxilio gratiæ cooperantis, ſi collatio auxilij efficacis accipiebatur primò modo, tunc voluntas creata in ordine ad illã merè paſſiuè ſe habet; ſi autem accipiatur ſecundo modo, tunc voluntas creata nõ merè paſſiuè ſe habet in ordine ad illam. Hinc poteſt dici proportionabiliter, quòd ſicut voluntas ſic merè paſſiuè ſe habet in ordine ad collationem auxilij efficacis primo modo ſumptam, vt eiuſmodi collatio auxilij efficacis dicatur præciſa & adæquata cauſa conuerſionis Petri; ita etiam voluntas creata ſic merè paſſiuè ſe habet in ordine ad negationẽ auxilij efficacis, vt eiuſmodi negatio auxilij efficacis, dicatur præciſa, & adæquata cauſa non conuerſionis Petri, vt non conuerſio dicit ſimplicem & puram negationem conuerſionis, ſeu vt dicit ipſammet negationem auxilij efficacis.

Si quæratur, quare Deus aliquibus non confert auxilium efficax; reſpõdeo, quòd non collatio auxilij efficacis, vel dicit ſimplicem negationem, vel dicit priuationem; ſi

ſi non collatio auxilij efficacis accipiatur primo modo, tunc non eſt quærenda ratio: quare Deus non confert aliquibus auxiliũ efficax, ſed pro ratione debet aſſignari beneplacitum Diuinum; ſi verò ſecundo modo accipiatur, pro ratione poteſt aſſignari peccatum præcedens: nam Deus in pœnam præcedentis peccati, negat aliquibus auxilium efficax.

Nota, quòd auxilium efficax dicitur cauſa, ſeu aliquid prohibens peccatum futurum; ſi quis ergo remoueret eiuſmodi prohibens, quãdo poterat & tenebatur remouere illud, ſi aliquod damnum ſeu peccatum ſubſequatur ad talem remotionem prohibentis illud, eiuſmodi damnum eſt, & peccatũ indirectè imputamur ei, qui remouet prohibẽs: Deus autem licèt poſſit, tamẽ nullo pacto tenetur non remouere prohibens, ideſt auxilij efficacia, quæ impedirent peccata fututa; & ideò non dicitur Auctor peccati, nec etiam indirectè.

Ad illud Oſeæ cap. 13. reſpondeo, quòd perditio Iſrael non conſiſtit in negatione conuerſionis, vt negatio, ſeù vt dicit ſimplicem negationem auxilij efficacis: nam negatio conuerſionis, ſeu nagatio auxilij efficacis formaliter non eſt culpa, vel peccatum; ſed conſiſtit in deordinatione & priuatio ne rectitudinis, vel conuerſionis, vel alterius actus debiti in eſſe: & quia huiuſmodi deordinatio, vel priuatio nõ in Deum, ſed in ſolam creatam volũtatem deficientem reducitur; ideò non poteſt rectè dici, perditio tua ex me Iſrael, ſed perditio tua ex te Iſrael.

Ad locum Eccleſiaſt. 15. dicentis: *Nè dicas, per Deum*

abeſt

abest &c. Respondeo, quòd verum est, quòd non stat; neq; per Deum abest, quòd homo non conuertatur, sed per ipsum hominem: nam Deus voluntate antecedẽti, & quantũ est de se paratus dare gratiam omnibus iuxta illud; *vult omnes homines saluos fieri*, & quidquid Deus vult antecedenter, vellet consequenter, nisi adesset impedimentum, quod impedimentum homo ipse propter suam culpam præstat gratiæ.

FINIS.





